DE

ORIGINE VETERUM TARENTINORUM.

DISQUISITIO PHILOLOGICA.

SCRIPSIT

Dr. RUDOLPHUS LORENTZ

BEROLINENSIS.

BEROLINI,

APUD H. A. W. LOGIER.

MDCCCXXVII.

DE ORIGINE VETERUM TARENTINORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
PRO
SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
BEROLINENSI
RITE ADIPISCENDIS
DIE XVIII. M. AUGUSTI A. MDCCCXXVII.
HORA XI.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
RUDOLPHUS LORENTZ,
BEROLINENSIS
PHILOLOGICI SEMINARII NUPER SODALIS.

OPPONENTIBUS:
F. C. JLLGEN, *PHILOSOPH. DOCT.*
H. STIEGLITZ, *PHILOSOPH. DOCT.*
L. BOECKH, *SEM. PHIL. SODAL.*

BEROLINI,
TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.

VITAE CURRICULUM
EX DECRETO PHILOSOPHORUM ORDINIS ADIECTUM.

Berolini natus die XIII. August. a. MDCCCIV. patre mercatore, matre Friderica Wilhelmina e gente Falckmanniana, quum in primis litterarum elementis institutus essem privatis scholis, anno aetatis meae quarto decimo in tertiam gymnasii Berolino-Coloniensis classem receptus sum, ubi mox litteras antiquas magno amore amplexus per quinque annorum spatium ad studia philologica me paravi. Anno hujus saeculi vicesimo tertio a praeceptoribus in academiam dimissus primum petii Lipsiam, ubi ab Hermanno civibus academicis adscriptus, celeberrimi hujus viri institutione usus, maxime linguae Graecae studio me dedi; inde profectus Gottingam audivi Heerenium in disciplinis historicis non sine magna utilitate in studia mea philologica redundante, in quibus ipsis praeceptores habui Dissenium et Müllerum, quorum virorum nescio utrum familiari consuetudini an publicae institutioni plura debeam. Deinde in patriam reverso, ut litterarum antiquarum cyclum peragerem duce Boeckhio, qui vir pro humanitate sua in seminarium philologicum me recepit, gratissimum mihi accidit, nec philosophicas disciplinas, quum Hegelium audire liceret, alienas a me esse volui.

THESES DEFENDENDAE.

I. Quod classicum est in antiquitatis scriptoribus non contineri severa grammaticae legum observatione, sed usu rhetorico, cujus indagatio summum est interpretis officium.

II. Mysteria Graecorum nihil altius docuisse, quam populi magistros florente litterarum Platonis tempore statu.

III. Fictione nili narrationes de antiquissima Graecorum cum Aegyptiis cognatione. (Plato Tim. p. 21 sq. Stephan.)

IV. Nullum fructum capere historiam ex methodo philosophica.

V. Thucydidis verba lib. I. cap. 2: διὰ τὰς μετοικίας ἐς τὰ ἄλλα μὴ ὁμοίως αὐξηθῆναι spectare ad Atticam gentium migrationibus non aeque atque alias Graeciae terras auctam.

VI. Intelligi non posse Aeschyli locum in Persis v. 13: νέον δ' ἄνδρα βαΰζει, si ab emendatione abstinueris, sed scribendum esse: βαΰζω.

PRAEFATIO.

Dissertationem de origine veteris Tarenti in publicam lucem editurus majoris potius operis specimen ac prodromum, quam expositionem ab aliis disquisitionibus segregatam eam esse volui. Quum enim ad philosophici ordinis in litteraria universitate Berolinensi honores adipiscendos libello opus esset, ex iis, quae de Tarentinorum civitate duorum ferme annorum spatio vel collecta vel jam conscripta a me erant, partem hanc elegi, ut philologici studii, quale hodie in Graecorum historia antiquiori collocandum mihi videtur, rudimentum ponerem. Simul ut bibliopolae exemplarium numerum traderem, mo-

vit me cognoscendi desiderium, an viris hujus litterarum generis peritissimis haec veterum fabularum perscrutandarum ratio probari possit, quodsi factum esse videro, incitamentum mihi erit ad Tarentinorum historiam, omnium vitae partium respectu habito, conscribendam proximo tempore, in qua, uti in hoc specimine, fontium, quibus scriptores usi sunt, recensioni et rerum indoli ex analogis illustrandae curam impendam.

Scripsi Berolini die XVIII. mensis Augusti MDCCCXXVII.

Veterum urbium et populorum originem accurate perscrutantibus accidere plerumque solet, ut diversam conditoribus et tempore eam apud auctores inveniant exhibitam. Quod quum multis variisque causis [1]) singulatim diligenter investigandis obnoxium esse possit, tum nonnunquam soli ipsorum scriptorum ratiocinationi et depravationi debetur; atque hoc maxime modo Graecarum, quae in Italia floruerunt, coloniarum antiquissima historia admodum perturbata est, quod recte dictum esse sentiunt horum studiorum peritissimi (cf. Micali Italiam ante domin. Roman. tom. I. pag. 33 sq.), probant ea, quae de diversis urbis Romae et Metaponti originibus jam ab aliis disputata sunt [2]), et quae nos de civitate Tarentinorum exponemus. Urbium Italicarum historiam a scriptoribus satis multis pertractatam esse, vel ostendit insignis auctorum, qui conscripserunt Italica, numerus laudatus a Plutarcho (cf. Heeren. de font. Plutarchi. Gotting. 1820. pag. 103.), quare eum, qui hodie rebus Italiae curam impendit, criticae artis rationem habere maxime decet. Quod

---

1) Inter quas omnino eminet incerta rerum mythicarum ratio, ut cetera taceam.

2) Vide Niebuhrii hist. Rom. tom. I. pag. 142 sq. Heynii opusc. acad. tom. II. pag. 205 sq.

quum vulgo neglectum sit, novum disquisitionis specimen in perscrutandis Tarentinorum originibus exhibere instituimus, quamvis multi nobis antecesserint [3]).

Cap. I.

Antiquissima Tarenti origo.

1) *Taras heros.*

Progrediemur in exponendis fabulis ab iis, quae fictionis speciem prae se ferunt, ad ea, quae vero sunt propiora; verum enim plane a nobis erui posse vix speramus, et vix pro rerum mythicarum indole a nobis poscent, qui hoc studiorum genere imbuti sunt.

Tarentinorum urbis conditorem Tarantem fuisse heroem, Neptuni et nymphae indigenae filium, qui urbi et fluvio nomen dederit [1]), plures auctores tradiderunt. Pausan. X, 10, 4. Antioch. ap. Strabon. tom. II. pag. 288. Tzsch. Eustath. ad Dionys. Perieg. 376. Scymn. 330. Isidor. origin. XV, 1, 62. Hesych. *Τάρας*. Si quae notio huic fabulae subsit quaesiveris, nihil aliud expressum invenies quam res maritimas Neptuno et incolarum aboriginum gloriam

---

3) L. Alberti descriptio Italiae p. 346 sq. (edit. Colon. ann. 1567.) Vindingii Hellen in Gronov. thesaur. antiq. graec. tom. XI. p. 389 sq. Cluver. Ital. antiq. pag. 1229 sq. Mazocchius ad tab. Heracl. pag. 89 sq. Mannerti geograph. antiq. vol. IX. pars 2. pag. 53 sq. Heynii opusc. acad. tom. II. pag. 217 sq. Raoul-Rochettii hist. colon. graec. tom. III. pag. 235 sq. Hegewisch. de colon. graec. p. 109 sq. et alii passim. Addo Joannis Juvenis librum de antiquitate et varia Tarentinorum fortuna insertum thesauro antiq. Ital. tomi IX. parti V.

1) Sic Siris fluvius et urbs. Archiloch. ap. Athen. XII. p. 523. Acragas. Pind. Pyth. XII, 3. cf. Boeckhii explic. ad Olymp. II. p. 123. Münteri Veliam. Alton. 1818. p. 21.

nympha indigena, Taras autem dei filius vocatur, ut civitatis exordium ad antiquissima tempora referatur. Suspicari tamen licet, hanc narrationem aut omnium esse recentissimam aut nullo certe fundamento historico firmatam, videmus enim Tarantis herois nomen fictum esse ad similitudinem nominis, quod urbi est, non minus quam Crotonem Crotonis urbis conditorem (Heraclid. Pont. polit. §. 35. schol. Lycophr. 1006. schol. Theocr. IV, 32.), et Caulum Clitae filium, qui Cauloniae nomen dedisse fertur. Serv. ad Aen. III, 553. Sic ferme omnes Graecorum urbes constat originem suam retulisse ad heroes, abs quibus nomina deducerent, nec sunt hodie, qui illos unquam vixisse putent, praeter quosdam Francogallorum viros doctos [2]).

Tarantem itaque verum urbis conditorem fuisse plane negamus, quoniam res fabulae speciem perspicue prae se fert. Mercatura enim et re navali quum Tarenti civitas egregie effloruisset, nihil magis consentaneum erat pro temporum illorum cogitandi ratione, quam ipsam urbis originem ad ejus dei prolem referre, qui rebus marinis praeesse credebatur, et cujus cultum a Taenaro promontorio secum tulerant Tarentum coloni Lacedaemonii. Similis omnino est narratio de Romulo urbis Romae conditore, qui Martis filius dictus est ob bellicosos incolarum animos. Nec magis mirum est, quod Taras indiges fuisse credebatur, aboriginum gloriae enim maxime studiosas fuisse plerasque gentes, historia antiqua innumeris exemplis docet [3]), sed quoniam Lacedaemoniorum coloni hanc gloriam sibi vindicare non poterant, referenda est haec fabula ad populum tempore eo, quo illi advenerunt, Taren-

2) Sic Clavier (hist. graec. tom. I. pag. 19. edit. secund.) Inachum fluvium pro rege habet.

3) Provocarim modo ad Arcades luna antiquiores et Athenienses una cum sole creatos. Menand. de encom. p. 82. ibiq. Heeren.

tinam regionem habitantem, nam, ut ait Pausanias X, 10, 3, cepit Phalanthus colonorum dux Tarentum barbarorum urbem maritimam maximam et opulentissimam, qui barbari sunt Japyges sive Messapii, gens Oscae originis ex judicio meo, quod tamen hoc loco probare nequeo. Potuit autem narratio exsistere apud populum illum ob cultum nympharum, quem apud Messapios fuisse, colligo ex Antonino Liberali. cap. 31, nam etsi Ποσειδῶν Graecus deus est, novos advenas credere licet barbarum deum in Graecum mutasse [4]), sed totam fabulae conformationem rectius Lacedaemoniis colonis quam barbaris aboriginibus tribuere nobis videmur. Sunt nimirum vestigia nonnulla fabulae nostrae temporis lapsu immutatae, nam idem Taras, qui nymphae indigenae filius dictus est, in nummis frequens occurrit delphino insidens [5]), et quamquam apud scriptores non inveni, secundum aliam fabulae formam Tarantem mari in Italiam advectum [6]) urbem condidisse, suspicor. Sic etiam constat de Phalantho, qui naufragium passus delphini dorso in Italiam advectus esse dicebatur Pausan. X, 13, 5, quam fabulam vix alio modo ortam censemus, quam eo, quod de Tarante constabat, relato ad Phalanthum. Pari modo vetus Horatii (Od. I, 28, 29.) interpres

---

4) Sic Veneris nomen ad deam Syriam translatum esse videtur. cf. Creuzeri Symbol. tom. II. p. 270. Similiter barbaros populos deducebant Graeci ab heroibus suis, ut Persas a Perseo. Herod. VII, 150.

5) Aristot. ap. Polluc. IX, 6, 80. (cf. Neumann polit. Aristot. p. 150.). Heynii opusc. tom. II. p. 220. Winkelmanni opp. tom. V. p. 359. Sed Τάρας nomen in nummis adscriptum urbem, non heroem, designat, ut bene monuit Eckhel. doctr. num. I, 1. pag. 146.

6) Quo indicatur, coloniam cultum Neptunium a Taenaro promontorio secum tulisse, de quo vide, quae ad Corn. Nepot. Pausan. IV, 4. dixerunt viri docti; delphinus signum est navigationis secundae. Creuzeri Symbol. tom. II. pag. 602 sq. adde Spanhem. de usu et praest. numism. diss. III. 192 sq. edit. secund.

Phalanthum Spartanum fecit Neptuni filium, nec mira est haec fabularum confusio, quum vice versa videamus, quae ad Phalanthum pertinebant relata esse ad Tarantem, qui teste Servio ad Aen. III, 551. juxta alios non dicebatur Neptuni sed Herculis filius (cf. Mazocch. ad tab. Heracl. pag. 92.) et Lacedaemonius. Prob. et Pomp. Sabin. ad Virg. Georg. II, 197. Phalanthus enim gloriabatur octavus esse ab Hercule [7]) Serv. ad Aen. l. c. ad Georg. IV, 126. schol. ad Horat. Od. II, 6, 12, ut constat fere omnes Doriensium principes genus suum ad stirpis heroem retulisse, unde Hercules γενάρχας dictus est cf. Mülleri Dorienses tom. I. p. 411 sq.; jam Tarentini etiam antiquiorem urbis suae conditorem olim indigenam in patriae Lacedaemoniae laudem Herculis prolem fecerunt.

Quam incerta sit veterum fabularum ratio, perspicitur ex Probi et Pomp. Sabini scholiis ad Virg. l. c. Probus enim refert, Tarae filium ex uxore Saturia in naufragio a delphine servatum esse; addit Pomp. Sabinus, hunc Tarae filium duas condidisse urbes, quarum alteram nominarit a matre Saturiam, alteram a nomine suo Tarentum, quod postea Lacedaemonii duce Phalantho ampliaverunt, sed unam facit utramque urbem Probus. Res explicatur fabularum confusione, quam ipso, quo florebat Tarentinorum civitas, tempore potius quam a grammaticis illis factam esse dicam. Servius quidem ad Aen. III, 551. Tarentum ante Satyrium dictum esse tradit, sed modo propter locum Virgilii male intelle-

7) Unde Tarentum ab Heraclidis conditum dicit Solinus II, 10. et Herculeum Virgilius Aen. III, 551, aut quia Heraclidae Lacedaemoniorum reges, aut quod ab Herculis filio sit conditum Tarentum, in quo molles et luxuriosi nascuntur, ut Servius adnotavit. cf. Callimachum in schol. ined. (tom. IV. p. 36. geograph. min. ed. Huds.) laudatum a Müllero in Doriensibus. tom. I. p. 126. adde Heynii exc. XIV. ad Aen. III.

ctum [8]), Satyrium enim sive Saturium locus erat Tarento vicinus in regione admodum fertili. Steph. Byz. *Σατύριον*. Serv. ad Virg. Georg. II, 197. schol. ad Horat. Satir. I, 6, 59. cf. Mazocch. ad tab. Heracl. pag. 93. Caelius in quinto historiarum libro (vide schol. biblioth. Leid. ad Virg. Georg. l. c. ed. Burmann.) hunc locum nomen accepisse observaverat a Satura puella, quam compressit Neptunus; jam quum nympham a Neptuno compressam matrem exstitisse Tarantis herois, aliunde certiores facti simus, fortasse judicandum est, secundum fabulam Saturae nomen illi Tarantis herois matri fuisse, quod alii herois uxori tribuerant. Quae fabularum ad extremas origines adscendentium inconstantia eo minus mira est, quo saepius illae a poetis et scriptoribus, denique in ipso populi ore immutatae sunt; conferas velim, quae de Rhode nympha exposuit Boeckhius explicatt. ad Pind. pag. 169. Ceterum id quoque animadvertendum videtur, Tarantis herois fabulam serius, a Rhinthone opinor, in ridiculum versam esse, quod scurram pisci insidentem in vase satis pulcro (Tischbein pictur. vas. tom. IV. tab. 57.) indicare, primus vidit Müllerus Doriens. tom. II. pag. 357. Res ipsa neminem offendet, qui lascivam quidem sed plane divinam novit Graecae comoediae naturam, artem enim a vita segregabant Graeci.

Jam, exposita universa fabulae indole, tantum abest, ut cum Servio (ad Aen. III, 551. collato ad Georg. IV, 126.) credamus, urbem originem cepisse ab heroe, deinde auctam a Phalantho [9]), ut potius heroem urbis causa effictum censeamus; ac si con-

---

8) Saturum Tarentum apud Virgilium esse foecundum, diu perspexit Burmannus ad Georg. l. c. cf. Mazocch. ad tab. Heracl. p. 93.

9) Simili ratione dicit Servius ad Aen. VI, 773, Collatiam ab Albanis fundatam a Tarquiniis auctam esse, sed maxime cavendum est, ne plures origines diversis temporibus uni civitati tribuamus.

jecturae indulgere licet, Tarantem primum fluvii nomen fuisse existimamus, quod deinde ad urbem translatum est [10]). Rem confirmare videtur Dionysii Halicarnassensis locus excerpt. XVII, 2. ed. Maji, atque egregie quadrat in hanc sententiam narratio, nymphae et Neptuni filium fuisse veterem urbis heroem.

2) *Urbis nomen.*

Quoniam de heroe, abs quo Tarentinorum urbs nomen suum habere dicebatur, verba fecimus, pauca licebit adjungere de ipso urbis nomine. Ac mihi quidem, ut ingenue dicam, virorum doctorum quorundam, qui omnium nominum etyma quaerunt, ratio minime probatur, vix enim minus steriles videntur hae quaestiunculae, quam si quis hodie urbium et fluviorum nostrorum nomina a certa linguae radice vellet deducere, quanquam verum est, nominicus geographicis antiquis saepius inesse significationem aliquam [1]).

Tarenti nomen exstitisse ante adventum Lacedaemoniorum in Italiam, verisimile est, nam nomen saltem debebat esse urbi illi barbarorum, quam ceperunt Partheniae, neque aliud quam Tarentum fuisse compertum habemus [2]), quare non merito Heynius (opusc. tom. II. pag. 218.) Justinum III, 4, 11. veteres incolas Tarentinos vocantem reprehendere videtur. Jam vero cum scientiam nostram fugiat, qua lingua usi sint illi veteres incolae, frustra enitemur in quaerendo etymo, abs quo simul deter-

---

10) Fluviorum inter divos relationem haud raram fuisse apud Graecos, constat ex Aeliano Var. hist. II, 33, ubi Agrigentinos fluvio suo sacra fecisse, memoratum est.

1) cf. Sickleri praefationem ad geograph. antiq. p. IX.

2) Male Servius ad Aen. III, 551. Parthenias demum tradit urbem Tarentum appellasse a quodam sepulcro, cui inscriptum erat Tare nomen.

ret investigatorem exemplum Favorini, qui quum graecam et latinam verbi radicem proponere nollet, satis infeliciter ex Sabinorum lingua urbis nomen explicare conatus est. cf. Macrob. saturn. II, 14. extr. Is enim putaverat, Tarentum rectius dici Terentum [3]) a voce: tereno, quod Sabinorum lingua est: molle. Sed ineptum foret, si quis crederet, urbis incolas hoc nomen accepisse, nec quo tempore Tarenti nomen exstitisse conjicimus, de ejus mollitie quidquam cognitum habemus. Admodum mirum autem est, ipsum Varronem ad Libonem primo Terentios ab eadem voce dictos putasse, ut testis est Macrobius l. c. Sunt haec pro more veterum grammaticorum neque omnino aliena ab antiquitatis sensu cf. Münteri judicium in Velia Lucanorum pag. 21; illustrem ejusmodi etymologiam habemus urbis Brundusii ob formam capitis cervini, quod Messapiis est *βρέντιον*, sic dictae, cujus derivationis auctorem Stephanus Byzantinus *Βρεντήσιον* (ubi vide Berkelium) citavit Seleucum in glossis. Aliud exemplum est Massilia, quam dictam esse accepimus a *μάσσαι*, quod est: ligare, et *ἁλιεύς* (piscator). cf. Johannsen veteris Massiliae res et instituta. Kiliae 1817. pag. 28 sq. Quin seriores grammatici tam impudenter versati sunt in etymis, ut nomina sibi fingerent, quae nunquam exstiterunt, exemplo est Isidorus Origin. XV, 1, 62, qui a Partheniis Tarentum deductis in coloniam Parthenios urbem constitutam esse dicit, magna rerum confusione.

Ad nominis genus et formam quod attinet, pleraque urbium nomina, ut notum est omnibus, feminini sunt generis, exceptis iis, quae terminantur in *ας*, aliisque, quae huc non pertinent (cf. Matthiaei grammat. uberiorem §. 93. not. 1.), unde dicitur *ὁ Ἀκράγας* Thucyd. VII, 46. 50. *ὁ Τάρας* Thucyd. VI,

---

3) Favorini verba aliter intelligit Cluver. Ital. antiq. pag. 1229. Terentum locus erat in campo Martio, de quo adi narrationem satis miram ap. Valer. Maxim. II, 4, 5.

104. Polyb. XIII, 4. Procop. res goth. III, 23. Sane hoc genus fuit usitatum, ut testes sunt Stephanus Byzantinus s. v. *Τάρας*, Eustathius ad Dionys. Perieg. 376 [4]) et Aelius Dionysius ap. Eustath. ad Odyss. pag. 1390. lin. 56. Rom. Contra feminino genere legitur *Τάρας* apud Dionys. Perieg. l. c. ejusque interpr. Niceph. Blemmid. pag. 7 ed. Spohn, quem consulas, et sic dici monuerunt Stephan. Byz. l. c. et Eustath. contra Aelium Dionysium disputans l. c. lin. 59; similiter apud Pind. Olymp. III, 2. Pyth. VI, 6. occurrit *ἡ Ἀκράγας*. In libris mscr. saepe confusi sunt articuli, ut in Strabonis codicibus pag. 404 ed. Oxon. *τὴν* et *τὸν Τάραντα*. Difficile est, in hac re aliquid decernere, praesertim quum in ipsa antiquitate jam dubia fuerit, accedimus tamen pro eo, quod observare licuit, Buttmanno, qui in grammatica §. 30. b. not. 4. conjicit, formam femininam recentioribus modo auctoribus et apud antiquiores poëtis modo propriam esse. Ex analogia enim, quam maxime secuta est lingua Graeca, dicendum erat: *ὁ Τάρας*, ut monstrant Eustathii verba supra laudata, sed recentiores et poëtae facile a norma poterant aberrare, quia cogitabant *τὴν πόλιν*. Si *Τάρας* heroem designat, masculino ut liquet genere semper adhibetur [5]). Sic quod ad Graecam linguam attinet nobis videtur statuendum.

In Latinam linguam ad poëtas abiit Graecus usus, urbs vocabatur Taras et masculino quidem genere, ut apud Lucan. Pharsal. V, 376: *antiquusque Taras*, ubi de heroe cogitare alienum est; non autem dubitare licet, quin pariter atque in lingua Graeca per synesin femininum genus adhiberi potuerit. cf. Sidon. Apollin. carm. V, 430. Schneideri grammat. Latin.

---

4) *Ἐλέγετο δὲ καὶ ἀρσενικῶς ὁ Τάρας ἐξ ἀναλογίας, οὐδὲν γάρ ἐστιν εἰς ρας βαρύτονον θηλυκόν.*

5) Cives dicuntur *Ταραντῖνοι* Stephan. Byz. *Τάρας*, et feminino genere *Ταραντίδες* Jamblich. Pythag. fine, latine Tarentini et Tarentinae.

tom. II. part. 1. pag. 93. In prosa oratione invenimus Tarentum pro Graeco: Taras. cf. Salmas. ad Solin. pag. 68. b. 86. c. edit. prim. In Italia inferiore enim et Sicilia solebant nomina Graeca tertiae declinationis, quae terminantur in ας vel οῦς, Latine mutari in neutra secundae declinationis in: entum, quod ex Aetolica dialecto esse dicitur, ubi invenitur εντος, et similiter apud Neograecos. cf. Niebuhrii hist. Rom. tom. I. pag. 42. Sic jam monuit Eustathius ad Dionys. Perieg. 376: *Τάρας ἤ καὶ Ταρεντός* [6]), hinc etiam Romanis mansit forma Tarentus Flor. I, 18. II, 6. Sil. Ital. XII, 434. Sidon. Apollinar. carm. V, 430, et sic olim legebatur apud Melam II, 4, 8, quam formam recentiori modo aetati tribuit Tzschuckius tom. II. pag. 331. *Τάραντον* an Graecum fuerit, valde dubito, sed ex librorum corruptela potius ortum censeam, ut apud Spohnium ad Niceph. Blemmid. pag. 29 codex Parisinus pro *Τάραντον* praebet *Τάραντα*, recentissimae saltem Graecitati haec forma adjudicanda est, quam etiam invenimus in paraphrasi Dionys. Perieg. tom. IV. p. 12. Huds. Taras heros latine videtur Tarentus nominatus esse. Serv. ad Aen. III, 551; idem Servius etiam verba exhibet: *a nomine ducis Tare*, quae nominis forma ex antiqua Italorum lingua depromta esse videtur, nullam enim video causam, quae Taren et Tarentum ad exemplum Pomponii Sabini (ad Virg. Georg. II, 197.) distingui jubeat. Tares legitur etiam apud Lactant. Placid. pag. 888. Staveren et schol. ad Horat. sat. II, 4, 34, cujus nominis casum genitivum: Tarentis facit Probus ad Georg. l. c.

---

6) Est vero etiam Tarantus masculine dicta urbs Bithyniae, ubi Tarantaeus Jupiter colitur, ut Demosthenes secundo Bithyniacorum habet, quae urbs scribitur alibi Darandus. Stephan. Byz. *Τάρας*.

Cap. II.

Arionis fabula.

1) *Narratio Herodoti.*

Arionis fabulam, quamquam ad Tarentinorum originem minus pertinet, ob similitudinem cum iis, quae de Tarante heroe prodita sunt, etiam ei apparentem, qui utramque narrationem obiter modo contulerit, et quoniam ex sola Tarantis fabula illustrari potest, dissertationi nostrae inserimus.

Arion qualis fuerit, ipsius carmina quam indolem habuerint, quum quaesivisse ad nostrum propositum minus faciat, satis habemus, Proclum laudare in chrestomath. ap. Phot. pag. 523 Hösch. (320 Bekk.), qui dicit, post Chrysothemidem et Terpandrum νόμον excultum esse ab Arione Methymnaeo, ipso poëta et citharoedo, et paullo ante, dithyrambum Corinthi inventum secundum Pindarum, cantum autem ex Aristotelis sententia inceptum esse ab Arione, qui primus cyclicum chorum instituerit. cf. Suid. Ἀρίων. Hellanic. ap. schol. ad Aristoph. Aves 1403 (p. 87 Sturz.) vett. critic. ad Pind. Ol. XIII, 25. Larcher. ad Herod. I, 23. Plehn. Lesbiaca Berol. 1826. pag. 165 sq. Nos modo versabimur in tractanda suavissima Arionis fabula, quam posteritati prodidit Herodotus I, 23 sq., ἀκοῇ secundum Pausan. III, 25, 5, celeri admodum et cohibili oratione vocumque filo tereti et candido scriptam, ut ait Gellius XVI, 19. Ac quoniam ex illo artis historicae parente hauserunt vel recta vel per alios reliqui scriptores fere omnes, integram ejus narrationem paucis notulis illustratam apponere placet.

„Periandro Cypseli filio Corinthiorum tyranno [1]) maximum, quod unquam inter homines evenit, obla-

---

[1]) De Periandro vide Meurs. Archont. I, 10. Menag. ad Diog. Laert I, §. 94 sq. intrpp. ad Ael. var. hist. XII, 35.

tum fuisse miraculum, narrant Corinthii hisque Lesbii assentiuntur; scilicet Arionem Methymnaeum [2]) delphino insidentem ad Taenarum fuisse delatum. Citharoedus is erat nulli suae aetatis secundus [3]) primusque hominum, quos novimus, dithyrambum et fecit et nominavit docuitque Corinthi. Hunc Arionem, ajunt, postquam plurimum temporis apud Periandrum esset versatus, in Italiam Siciliamque cupivisse navigare, ingentique pecunia ibi comparata, voluisse Corinthum reverti. Igitur quum Tarento [4]) esset profecturus neque ullis magis quam Corinthiis fidem haberet, navigium conduxisse hominum Corinthiorum, at hos, ubi altum tenuere, consilium agitasse de illo in mare projiciendo, quo pecunia potirentur. Tum illum quid ageretur intelligentem ad preces confugisse, et pecunia omni nautis oblata vitam esse deprecatum, nautas vero precibus viri nihil commotos jussisse, ut aut sibi manus inferret, quo in terra sepulturam nancisceretur, aut ut illico in mare se projiceret. Has in angustias et consilii inopiam redactum Arionem orasse, ut quandoquidem ita iis placitum esset, sinerent se omni suo ornatu indutum [5]), in summo puppis foro stantem canticum canere [6]), quo facto pollicebatur, sibi se ma-

---

2) Prob. et Pomp. Sabin. ad Virg. Georg. II, 90. Stephan. Byz. *Μήθυμνα*.

3) Inter optimos post Orpheum recenset eum Eustathius ad Dionys. Perieg. 537. cf. Dion. Chrysost. tom. I. p. 460. Reisk. Aures omnium mentesque demulsit. Gell. XVI, 19. Carmine currentes tenebat aquas. Ovid. Fast. II, 84 sq.

4) Urbis nomen male omiserunt Gell. et Ovid. ll. cc. Hygin. fab. 194. Serv. ad Virg. Eclog. VIII, 55.

5) De ornatu cantorum vide Gierig. ad Ovid. Metamorph. XI, 165. ad Fast. II, 105.

6) Suaviter addit Dio Chrysost. tom. II. p. 102. Reisk: ut dicunt, cycnos moribundos ac praesentientes mortem animam in carmen tanquam in vehiculum aliquod imponere. cf. Plutarch. Sept. Sap. conviv. cap. 18. Gierig. ad Ovid. Fast. II, 109.

nus illaturum. Tunc nautas cupidine captos audiendi praestantissimi omnium cantoris e puppi mediam in navem concessisse et illum omni ornatu indutum, capta cithara, in summo navis foro stantem carmen, quod ὄρθιον [7]) vocatur, peregisse, paractoque cantu, ita ut erat, cum omni ornatu in mare se conjecisse. Tum illos continuato cursu Corinthum navigasse, hunc vero, ajunt, a delphino exceptum dorso Taenarum fuisse delatum, ubi quum in terram esset egressus, Corinthum inde eodem habitu perrexisse, ibique quid accidisset enarrasse. Periandrum vero quum fidem non haberet, tenuisse Arionem in custodia, ne quo prodiret, ceterum curam intendisse in nautas. Nautae ut Corinthum advenerunt, accitos ad se percontatum esse Periandrum, ecquid de Arione memorarent, quibus dicentibus, salvum illum in Italia esse et fortunatum Tarenti a se relictum, apparuisse Arionem eodem cultu, quo in mare prosiluerat, et illos perterritos convictosque non potuisse amplius ire infitias."

2) *Fabulae immutatio et indoles.*

Ex Herodoto eandem narrationem refert Dio Chrysost. orat. XXXVII, init., ut docent utrumque auctorem comparantem quidam loci ad verbum similes; libere vertit Gellius XVI, 19 in Latinum sermonem. Egregiam descriptionem poëticam legimus apud Ovid. Fast. II, 93 — 118, nec nimis ab Herodoto discrepantem; deinde rem brevius tetigerunt Lucianus dialog. marin. tom. II. pag. 109 Bipont. Strabo tom. V. p. 432 Tzsch. ex Herodoto. Plinius nat. hist. IX, 8. Aelianus de natur. anim XII, 45.

---

7) Carmen, quod cecinisse fingitur Arion, ex Aeliano de nat. animal. XII, 45 exhibet Brunckius Analect. tom. III. p. 327 (anthol. tom. I. p. 48 ed. Jacobs.), de quo vide Jacobsii animadverss. vol. I. p. 1. pag. 179 sq. Sed hymnum illum in Neptunum pro genuino Arionis foetu habendum esse, jam negavit Schneiderus ad Aelian. l. c.

Plutarchus de solert. anim. cap. 35. sept. sap. conviv. cap. 18. Oppianus Halieut. V, 450. Tzetzes Chil. I, 17, 393 sq. Cicero Tusc. quaestt. II, 27. Exemplo autem, quo probari possit, eas potissimum fabulas, quae notissimae erant et late percrebruerant inter homines, maxime etiam immutatas esse jam in ipsa antiquitate, est nobis Hyginus fab. 194, qui refert, Arionem in somnis ab Apolline ante monitum esse, ut ornatu suo et corona decantaret et iis (nimirum delphinis) se traderet, qui ipsi auxilio venissent; delphinum servatorem deinde in terra exanimatum esse, cui monumentum fieri jussit rex Pyranthus (sic male habent libri pro Periandro), ad quod quum perjuri facti essent nautae, cruci affixi sunt [1]. Hyginum vereor ne, omissis atque immutatis nonnullis, pro more suo exscripserit Servius ad Virg. Eclog. VIII, 55, qui addit collocasse Apollinem tam delphinum quam citharam [2]) inter sidera ob amorem Arionis.

Omnia, quae de Arione circumferuntur, fabulae speciem prae se ferunt, quod eo magis mirationem movet, quo certius est, Arionem vixisse temporibus, quibus jam rarius narrationes mythicae apud Graecos oriri solebant, etsi earum exempla ad Olympiadem quinquagesimam usque inveniuntur. cf. Mülleri prolegom. ad mytholog. cap. IX. Solinus VII, 6. quidem refert, Olympiade XXIX, qua in certamine Siculo Arion victor scribitur, ipsum delphine Taenarum advectum esse, sed Eusebius chron. lib. post. pag. 123. historiam promovet in Olympiadem XL. Etenim Olympiade undetrigesima Periander, cujus amicus Arion erat, quinquennis fuit, id quod minime in rem quadrat, quare apud Solinum legendum esse:

---

1) Et sic jam Dio Chrysost. tom. II. p. 102. Reisk: *οἱ μὲν πορθμεῖς ἀπέθνησκον.*

2) Cujus loco male ipsum Arionem exhibet Hyginus l. c., quem alibi confusum esse cum Orione, notavit Meursius miscell. Lacon. IV, 11.

Olymp. XXXIX recte censet Salmasius (Plin. exercitatt. tom. I. pag. 98. b. c.), qui et Solinum et Scaligerum ad Eusebii locum citatum refutavit. Suidas quoque circa hoc tempus ponit Arionem, assentiuntque Larcher. chronolog. Herod. pag. 520 sq. (p. 533 sq. edit. nov.) et Simson. chron. ed. Wesseling. p. 563 sq.

Fabulis exornatum esse Arionem, monstrat pater *Κύκλεύς* (Suid. *Ἀρίων*. Antholog. tom. I. p. 49. Ael. de nat. anim. XII, 45 [3]), quod nomen quanquam proprium est (Suid. *Κυκλεύς*), referri tamen videtur ad cyclicum chorum, cujus auctorem perhibent Arionem, neque omnino haec res ita mira est, si id modo reputaveris, Arionis historiam implicitam esse lyricae poëseos exordio, ut patet ex Procli loco, qui supra laudatus est. Non minus exornati sunt fabulis Terpander Lesbius (v. Plehn. Lesb. p. 138 sq.) et Chrysothemis Cretensis citharoedi, Hyagnis et Olympus auloedi, atque in hunc modum cujusvis ferme artis initia apud Graecos fabulis sunt involuta, quod probant Daedalus et Smilis. cf. Gedikium ad Plat. Menon. p. 72 sq. ed. Biest. et Buttm. Mülleri Aeginet. p. 97 sq.

Alterum, quod in Arionis fabula maxime respiciendum esse videtur, in eo positum est, quod ipsa pertinet ad res astronomicas. Euctemon enim circa Olympiadem LXXXV jam novit delphinum inter sidera (v. Gemin. *χρόνοι τῶν ζωδίων* in Petav. uranolog. pag. 67. d.), videnturque circumspexisse viri docti Alexandrini, ut, quibus delphinus celebrabatur fabulis, eas investigarent. v. Mülleri prolegom. ad mytholog. pag. 197 et 204. Varias causas, ob quas inter astra collocatum esse delphinum antiqui scriptores judicabant, exhibet Hyginus poët. astron. II, 17. pag. 460 Staver., atque id factum esse, quia ut Neptuno nuberet persuasit delphin Amphitritae, retulit

---

3) *Κυκλεύς* pro *Κυκλῶν* emendatio est Salmasii ad Solin. pag. 138. cf. etiam Mülleri Doriens. tom. II. p. 369.

Artemidorus (de amore apud Eratosth. catast. 31. cf. Bernhardy Eratosth. pag. 160.). Bacchum, cum Tyrrhenos in delphinos convertisset, ob memoriam unius effigiem posuisse inter sidera, auctor fuit Aglaosthenes in Naxicis. Idem factum esse in honorem Apollinis, quod delphinus Cretensibus dux fuisset Delphos, Hermippus tradit ap. Theon. ad Arat. Phaenom. 316. et Servius ad Aen. III, 332, sed Jovem rei auctorem dixit Ovidius poëta in rebus astronomicis doctissimus Fast. II, 117, alii denique, ob servatum Arionem delphinum inter sidera relatum esse ab antiquis astrologis, observarunt. Theon ad Arat. l. c.[4]). Hoc maxime modo notissima facta est in ipsa antiquitate narratio de Arione, cui delphinus exstitit servator, celebrata deinde, ut apud nostrates a Schlegelio, sic jam olim a poëtis. cf. Philipp. Thessal. in antholog. tom. II. pag. 204. ed. Jacobs. Virg. Eclog. VIII, 55. Ovid. Fast. II, 83. Solin. XII, 2.

3) *Fabulae origo.*

In explicanda hac Arionis fabula non ea nobis probatur via, qua detrahendo id, quod vero simile non est, nudam quasi ejus compagem exhibeamus, sed id potius ostendi debet, qua ratione *μῦθος* exstiterit, quo disquirendi genere prae aliis adjuvari mythologiae studium egregie demonstravit Müllerus prolegom. cap. IV. Potuit originem habere fabula ex ipsis iis, quae de Tarante heroe percrebruerant; nexum interesse vidit Müllerus Doriens. tom. II. p. 369, qui fabulam adjuvante delphinorum amore musices a Tarante ad Arionem translatam esse dixit, ita ut hic retrorsum eundem cursum peregerit, quem ille Taenaro Tarentum, quae sententia etiam Plehnio

4) Delphini sidus descripsit Hyginus poët. astron. III, 16. adde indicem ad Ovid. fast. ed. Gierig. s. v. delphinus.

Lesb. pag. 166. probatur [1]). Hinc tamen fabulae exordium non satis perspicimus, quod saltem apud Tarentinos fuisse expectes, sed iterato ait Herodotus I, 23 et 24: *ταῦτα μέν νυν Κορίνθιοί τε καὶ Λέσβιοι λέγουσι.* cf. Ael. de nat. anim. II, 6. Nobis alia sententia est.

Memorat Herodotus I, 24. extr., narrationi de Arione fidem facere ejusdem poëtae donarium aeneum Taenari, non magnum [2]), hominem delphino insidentem (cf. Meurs. miscell. Lacon. IV, 11.), cujus rei item mentionem injiciunt Pausanias III, 25, 5 et Aelianus de nat. anim. XII, 45. Fanum Arionis laudat Solinus VII, 6, ubi imaginem ad effigiem casus et veri operis aere expressam esse dicit. cf. Hygin. poët. astron. II, 17. Signum fuisse in templo Apollinis, Arionem cum cithara, refert Servius ad Virg. Eclog. VIII, 55, quod anathema non a Periandro sed ab Arione positum esse, contendit Dio Chrysost. (tom. II. pag. 102. Reisk. [3]) explodens, ut videtur, Hyginum fab. 194. et Bianoris Bithyni epigr. (Brunck. Analect. tom. II. p. 154. Antholog. tom. II. pag. 141.). Ex hoc signo orta est fabula, quod censemus non aliud fuisse quam Tarentinorum anathema, ab his post secundam navigationem, feliciter excrescente civitate, in honorem Neptuni Taenarii, quem tutorem habuerant, positum, nam ille

---

[1]) Talem fabularum nexum in eo potius quaesiverim, quod Taenarium Neptuni templum exstructum dicitur a Taenaro ejusque fratre Calabro. Stephan. Byz. *Ταίναρος*, ita ut ejusdem dei, cujus cultum in Italiam tulerunt coloni, templum ex Italia originem cepisse, existimatum sit. Sed alii rem aliter narrabant. cf. Meurs. miscell. Lacon. IV, 11.

[2]) De magnitudine nihil reliqui scriptores, sed consentit Dio. Chrysost tom II. pag. 102. Reisk.; negatio apud Herodotum facilius omitti quam inseri potuit, quare genuinam eam censeo.

[3]) *'Αρίων, οὐ γὰρ Περίανδρος, ἀλλ' 'Αρίων ἀνέθηκε*, et paullo ante: *'Αρίωνος μέν γε τύπον οὐκ ἐποιήσασθε* (scilicet Corinthii).

Neptunus erat ἀσφάλειος, qui navigationem secundam praestat, qualem colebant etiam Athenienses. cf. intpp. ad Corn. Nep. Pausan. IV, 4. ex schol. ad Aristoph. Acharn. disputantes. Res minime aliena est a probabilitate; nam cognita sunt alia Tarentinorum anathemata, quae Delphis vidit Pausanias X, 10, 3. X, 13, 5, ubi Taras et Phalanthus cum delphine memorantur.

Insculptum quidem Arionis statuae fuisse epigramma, quod statim sequitur, tradit Aelianus de nat. anim XII, 45:

Ἀθάνατων πομπαῖσιν Ἀρίονα Κύκλεος υἱόν
ἐκ Σικελοῦ πελάγους σῶσεν ὄχημα τόδε.

cf. Brunck. Analect. tom. III. pag. 328. (Antholog. tom. I. pag. 49.) et Heynium in commentatt. societ. Gotting. vol. X. class. hist. pag. 101; sed adversatur aliud Bianoris epigramma supra laudatum, et quum de epigrammate nostro nihil referant reliqui scriptores ad unum omnes, verba serius addita esse, recte conjecit Wesseling. ad Herod. I, 24, nisi erroris accusandus est ipse Aelianus.

Temporis lapsu quum essent, qui Tarantem heroem indicari simulacro non amplius intelligerent, potuit delphinus musicae artis amans eo ducere homines, ut cantorem designari putarent, relata autem res est ad Arionem a Lesbiis et Corinthiis, quem ii suum [4]) esse arbitrati divina Apollinis fautoris ope in mala fortuna usum esse judicabant; accessit, quod hominem pro more poëtarum olim in Siciliam et Italiam ad certamen profectum esse, constare potuit, Tarento autem solvisse dictus est Arion, quod ibi ut in aliis urbibus maritimis multa de φιλανθρωπίᾳ delphinorum narrabantur. Aristot. hist. animal. IX, 48. Plin. nat. hist. IX, 8. Seriore tempore, cum fabula jam conformata esset, eosdem Lesbios sive Corin-

---

4) Lesbius enim patria, Corinthius domicilio erat Arion. *Κορινθίοις ἐπιτήδειον* eum vocat Dio Chrysost. tom. II. p. 101. Reisk.

thios Arionis delphino insidentis simulacrum in monte Helicone posuisse arbitror, ubi hoc monumentum inter alias poëtarum et musicae laude insignium virorum statuas memorat Pausanias IX,30,2.

Possit ejusdem fabulae origo ratione, quae multis fortasse videbitur longe simplicior, non inepte explicari, quum tamen iis, quae modo protuli, totus faveam. Dicamus enim Arionem, qui Tarento solvens cognita habebat, quae illic de antiquo civitatis heroe ejusque fatis divulgata erant, maris deo Taenari posuisse anathema, se ipsum delphino insidentem, celeriter [5]) et bene peractae navigationis signum, quum sibi videretur aequali fortuna usus esse atque olim Tarenti conditor, deinde vero famam exstitisse Arionis e magnis periculis a delphine erepti. Ad hanc explicandi rationem potest ducere monumentum *οὐ μέγα* Herodoti, ut ab homine privato non a civitate positum, et laudatus Dionis Chrysost. locus tom. II. p. 102. Reisk., quamquam neque hoc argumentum aliquid valet; sed nihil prorsus efficit cithara, quae signo erat, a Servio neque ullo scriptore antiquiore memorata, utut enim res se habet, quadrat cithara optime in Tarantem heroem, qui in nummis innumera habet attributa. cf. Heynii opusc. tom. II. pag. 220. Eckhel. doctr. num. I, 1. p. 146. Tarentinorum urbem non mediocri musices laude floruisse, satis probabile est, ac profecto videmus Tarantem heroem lyram tenentem [6]) in nummis Tarenti apud Mionnet. (descript. num. tom. I. pag. 139. nr. 379. tab. 59. nr. 1.), quem male pro Arione habet Eckhelius l. c. pag. 145; quid enim, ut peregrini viri fata nummis celebrarent, impellere Tarentinos potuit [7])? Egregium fuit Tarentinorum anathe-

---

5) Nam omnium velocissimum animal delphinus. Plin. nat. hist. IX. 7 init. Aristot. hist. anim. l. c. cf. Creuzer. ad Cic. de nat. deor. II, 35. pag. 351.

6) Fallitur itaque Winkelmannus opp. tom. I. pag. 207.

7) Contra Jasenses pueri in delphini dorso sedentis effigiem posuerunt in nummis ob memoriam rei alicujus,

ma, heros citharam tenens, quae spectabat ad Apollinis cultum, dei Doriensibus prae aliis proprii. cf. Mülleri Doriens. tom. I. p. 199 sq. — Statuam, qua designari Arion videbatur, ipsius Neptuni Taenarii fuisse, vix dicam, hunc enim, quamquam saepius fingebatur cum delphino (Hygin. poët. astron. II, 17. Eratosth. catast. 31. Pausan. II, 2, 7. II, 35, 2.), vix quisquam cum alio confundere potuisset, et sunt praeterea, quae monumenta in promontorio Taenaro laudat Pausanias III, 25, 5, fere omnia ex anathematum numero, inter quae dei statuam haud facile exspectes. Observandum tamen videtur, jam Tzetzen Chil. I, 411 sq. Arionis fabulam sic explicuisse, ut piratarum Phoenicum navi, quae delphini insigne habebat, Arionem exceptum esse diceret, cui sententiae satis frigidae adstipulatur Larcher. ad Herod. I, 24. tom. I. pag. 214. Sed nobiscum facit Creuzerus Symbol. tom. II. p. 606, quem Arionis fabulam ex ipsa imagine ortam esse censentem video, uberius autem sententiam suam exponere noluit vir doctus [8]) de mythica et poëtica delphini natura l. c. egregie disputans.

De musicae amore et φιλανθρωπίᾳ delphinorum, quibus maxime nititur haec Arionis fabula, hoc loco amplius non perquirendis, multa tradunt veteres scriptores, quorum singulos locos hic recensere satis habeo. Aristot. hist. anim. IX, 48. Aelian. de nat. anim. II, 8. II, 6. VI, 15. VIII, 3. Athen. XIII. p. 606. Plut. de solert. anim. cap. 36. sept. sapient. conviv. cap. 20. Plin. nat. hist. IX, 8 sq. ex eo Solin. XII, 6 sq. Gell. VII, 8. Oppian. Halieut. V, 425 sq. Pau-

---

quam ad ipsos nummos illustrandos inventam esse judico. cf. Ael. de nat. anim. VI, 15. Polluc. IX. cap. 6. Plutarch. de solert. animal. cap. 36.

8) Quod factum esse audivi in ejusdem viri dissertatione, quae inscribitur: Mythorum ab artium operibus profectorum exempla. Marburg. 1803., quem libellum mihi ad manum non fuisse, etiamnunc doleo.

san. III, 25, 5. Tzetz. Chil. IV, 117. Pindar. fragm. tom. III. p. 107. ed. Heyn. (pag. 679. ed. Böckh.), quibus addas, quae de martyre a delphino ad urbem Bithyniae Helenopolin deposito affert Philostorgius hist. eccles. II, 12. pag. 437. (ed. Aug. Taurin. 1748.). Recentiores similia tradunt de manato, qui an idem sit quam delphinus, non satis constat cf. quae laudat Jacobsius animadverss. ad antholog. tom. I. p. 1. p. 180. Quaesiverunt jam veteres, quo delphinorum amorem musicae explicarent, ut fecit auctor catasterismorum, qui sub Eratosthenis nomine feruntur, cap. 31. rem eo illustrans, quod stellas juxta Musarum numerum, nimirum novem, habeat delphini sidus, at fortasse, antequam delphinus inter astra ab astronomis relatus esse videtur, jam fama percrebruerat de hujus animalis amore musices.

Ceterum si forte sunt, quibus ratio nostra in explicanda fabula Arionis ex simulacro Taenario nimis jejuna videtur, hi velim meminerint eorum, quae egregie exposuit Müllerus in prolegom. ad mytholog. p. 113 sq. de Marsyae fabulae exordio ab utre in antro Celaenaeo suspenso. Simili modo innumera fabularum copia apud Graecos exstitit.

Cap. III.

Lacedaemonia urbis origo.

1) *Historiae bellorum Messeniacorum indoles.*

Transimus jam a rebus mythicis ad ea, quae paullo certiore fundamento nituntur; dicitur enim Tarentum Lacedaemoniorum colonia fuisse [1]), ac ma-

---

[1]) Eustath. ad Dionys. Perieg. 376: *ἔσχε δὲ καὶ Λακεδαιμονίων ἀποικίαν.* cf. Scymn. 331. Hesych. *Τάρας.* Laco ap. Platon. de legg. lib. I. p. 637. Steph. (204. Bekker) *ἐν Τάραντι δὲ παρὰ τοῖς ἡμετέροις ἀποίκοις.* cf. Athen. tom. II. p. 107. Schweigh. Tarentum oppidum Laconum vocat Pli-

gis quam omnes de conditoribus narrationes rem confirmat Polybius VIII, 35, 9, qui multa esse in urbe et in agro loca ejusdem nominis quam in Laconia, adnotavit. Quae autem traduntur de Laconica urbis origine, non seorsim consideranda sunt, sed ad majorem rerum cyclum, qui est bellorum Messeniacorum, pertinent. Atque eorum historiam quum hic exponendi locus non sit, satis habemus lectorem ablegare ad Mansonis Spartam I, 1. pag. 204—227. et 256—279. Clavier. hist. prim. Graec. tempp. tom. II. pag. 174 sq. et 271 sq. edit. nov. Müllerum in Doriens. tom. I. p. 140 sq. breviter sed optime de his bellis judicantem. Messeniaca bella etsi in tempora incidunt, quae jure historica dixeris, quia de iis nonnulla comperta habemus, quae ipsa eorum aetate scripta sunt, fabulis tamen exornata, ut apud Pausaniam IV, 6—25. narrantur [2]), pervenerunt ad notitiam nostram. Erant veteres de his bellis traditiones, ut bene Müllerus l. c. ostendit, partim apud ipsos Lacedaemonios, partim apud Messenios, quae magis magisque conformatae deinde a scriptoribus pertractatae sunt. Pausanias procul dubio ex epicis carminibus sua hausit (cf. Mansonis Spartam I, 2. pag. 267. sq.), praeterea ex Myrone Alexandrinae, ut videtur, aetatis scriptore, veritatis justo minus studioso, et Rhiano poëta Ptolemaei Euergetae aequali, quorum hic de secun-

---

nius nat. hist. III, 16., semigraecam ex Lacedaemoniis conditoribus civitatem Florus I, 18., civitatem ex Lacedaemoniis conditam cognatamque Graeciae Orosius IV, 1. cf. Diod. XVI, 62. Sic Tarentum Lacedaemonium. Horat. Od. III, 5, 56. ibiq. schol. Ovid. Metamorph. XV, 50. cf. Pausan. X, 10, 3. Justin. XX, 1, 15. Hinc etiam epithetum: Oebalium ab Oebalo Laconum rege (de quo vide Clavier. hist. tom. I. p. 121.) Virg. Georg. IV, 125. ibiq. vett. intpp. Sil. Ital. XII, 451. Claudian. de cons. Mall. Theod. 158. in cons. Prob. et Olybr. 260.

2) De cujus fide in bellorum Messeniacorum expositione agit Manso Spart. I, 2. p. 264—274.

do, ille de primo Messeniaco bello egit. Permultos de his rebus scripsisse auctores, admodum verisimile est, laudatque ex Athenaeo XIII. p. 599. e. Aeschyli Alexandrini Messeniaca Müllerus l. c. pag. 143., cujus sententia de horum bellorum scriptoribus quae conferatur dignissima est.

Placet haec breviter tetigisse, quoniam faciunt ad rectum de eo tempore judicium, quo Tarentum exordium cepit, vix enim multum proficimus in rebus historicis, nisi severa notitiae nostrae fontium indagatio et dijudicatio praecessit, quod hodie post ea, quae scripsit Heerenius de fontibus Justini, Plutarchi, Strabonis, atque ante eum Heynius de fontibus Diodori, nemo non agnoscit. Omnino diversae sunt narrationes in ore populi ab earum pertractatione, quam scriptores instituerunt [3]), et longe aliud ferendum est judicium, si quam rem in carminibus decantatam esse constat. In Messeniacis bellis mythicae narrationes immixtae sunt historicis, quibus insuper accedit elementum poëticum, agitur ideo, ut, quid historicum sit, eruamus, quod nisi plane nobis contigerit, rebus majorem lucem attulisse sufficiet.

2) *Narrationum de Lacedaemonia Tarentinorum origine recensio.*

Quum ea, quae de Lacedaemonia Tarentinorum origine constant, a pluribus scriptoribus variis modis consignata ad nostram aetatem pervenerint, ipsarum rerum disquisitio accuratiorem auctorum, qui huc pertinent, recensionem nobis videtur requirere, in qua simul id observabimus, non iisdem, quibus bellorum Messeniacorum historiam, fontibus deberi Tarentinorum originis notitiam. Fontem habemus prae aliis Strabonem in Italiae descriptione duas exhiben-

---

3) Vide quae eximie disseruit Müllerus prolegom. ad mytholog. cap. X. cf. Beckium de font. hist. graec. apud Goldsmith. hist. graec. tom. I. pag. LXV sq.

tem narrationes inter se diversas, quarum posterior, ex Ephori historiae libro quarto (cf. Ephori fragm. p. 154 sq. Marx.) petita, ea est, quae in plurimos libros abiit, quare primam ipsam hoc loco ponimus. Ephorus historiam suam finiit Perinthi occupatione, quae fuit Olympiade CIX, 4. Diodor. XVI, 76, quo tempore ipsum vixisse, probatur collato Suidae loco [1]); antiquior itaque Myrone et Rhiano censendus est. Sed unde sua hauserit, dictu difficile est, probamus quae conjecit Marxius Ephor. fragm. p. 17, eum vitae partem consumsisse in obeundis, quas descripturus erat, terris, Herodoti, Polybii, Posidonii, Strabonis, Theopompi instar. Ad nostram de Tarentinorum origine narrationem quod attinet, potuit eam mutuari Ephorus ex libro aliquo de urbium originibus, quod litterarum genus in deliciis Graecorum fuit [2]). Integra ejus narratio legitur apud Strabon. tom. II. p. 288. Tzsch., ubi refert:

Lacedaemonios bellum intulisse Messeniis, quod hi illorum regem Teleclum Messenam sacrificandi causa profectum occidissent [3]), ac jurejurando se obligasse, aut se non ante domum reversuros, quam Messenam cepissent, aut universos in oppugnatione morituros; urbem, quum proficiscerentur ad bellum, civium minimis maximisque natu custodiendam reliquisse. Postea anno belli decimo uxores Lacedae-

---

1) S. v. *Ἐφίππος*, ubi quae ad Ephorum pertinent, exhibet: *ἔγραψε μεχρὶ τῶν αὐτοῦ χρόνων βιβλία*. Plura dabit Marxius fragm. Ephor, pag. 3 sq.

2) Ut alios, qui Alexandrina aetate conscripserunt *κτίσεις*, omittam, hic solum Hippyn Rheginum memorare liceat, qui bellorum Persicorum tempore scripsit *κτίσιν Ἰταλίας* v. Suid. *Ἵππυς*, Eudoc. *Ἰωνίαν* in Villois. anecd. vol. I. pag. 245.

3) Sed alii aliter referunt. Justinus III, 4, 1. belli causam Lacedaemonias virgines in solemni Messeniorum sacrificio stupratas exhibet; latius res narrat Pausanias IV, 4, minus accurate Diodorus XV, 66. cf. Eustath. ad Dionys. Perieg. 376.

moniorum [4]), facta coitione, quasdam ad maritos suos miserunt, quae eos reprehenderent, ut non aequis conditionibus bellum Messeniis facientes, quippe hos domi manentes [5]) interim liberos procreare, ipsos, relictis viduis uxoribus, in hostico castra habere, itaque periculum esse, ne patria virorum ad extremum vacua reddatur. Lacedaemonii et juris, jurandi rationem et consilii uxorum habentes ideo robustissimos quosque [6]) et aetate inter milites minimos Spartam misere, unde pueri cum adultis quondam profecti jurisjurandi religione non tenebantur, iisque mandarunt, ut cum omnibus omnes virginibus [7]) rem haberent, eo copiosiorem rati inde sobolem exstituram; atque iis, qui hoc modo nati sunt, Partheniarum nomen obtigit [8]). Messena anno demum decimo ac nono bello capta est, sicuti et Tyrtaeus tradit (cf. Franck. Callin. p. 168.), verum Spartani, diviso agro Messenio, domum reversi Parthenias non eo quo alios honore dignati sunt utpote non ex conjugio natos [9]). Itaque Partheniae, re cum helotibus communicata, insidias struxerunt Spartanis data tessera elevatione pilei Laconici in concione populi ad faciendum impetum; sed rei-indicio ab helotibus quibusdam delato, Spartani contra insidiari Partheniis rem duxerunt difficilem, quod ii et magno essent numero et mutuo se pro

---

4) *Πρεσβύτιδες.* Eustath. l. c. — *γυναῖκες καὶ μάλιστα αἱ ἐν ἀκμῇ πάρθενοι.* Dionys. Halicarn, XVII, 1. ed. Maji.

5) Messenios intelligo, collato Justino III, 4, 4. Vulgo male accipiunt verba de iis, qui Lacedaemone relicti sunt, quem errorem jam vitavit Cluverus Ital. antiq. p. 1230.

6) *Πεντήκοντα* fuisse dixit Eustathius l. c., quod unde sumserit, non liquet.

7) Feminis Justin. III, 4, 5.

8) Ob notam materni pudoris, quemadmodum interpretatur Justinus III, 4, 7.

9) *Ὡς ἀπὸ πορνείας φύντες.* Eustath. l. c. *ὡς νόθοι ὑπὸ τῶν Λακεδαιμονίων ὀνειδιζόμενοι*, ibid.

fratribus haberent, edixerunt tamen, ut concionem relinquerent, qui pileum fuerant sublaturi [10]). Tunc Partheniis patefactum suum institutum intelligentibus, quum sese continerent, Spartani opera parentum ipsorum persuaserunt, ut aliquo in coloniam abirent, ea conditione, ut ne reverterentur, si regionem ipsis sufficientem essent nacti, sin vero, ut reversi quintam partem agri Messenii obtinerent [11]). Sic profecti Partheniae inciderunt in Achivos bellum gerentes contra barbaros, et postquam illis suppetias tulerant, Tarentum condidere.

Huic Ephori narrationi addimus alteram, quae prior est apud Strabonem tom. II. p. 286. Tzsch. [12]), Antiochi Syracusani, scriptoris tam egregii, ut vel propter ipsius nomen quae tradidit fide digna censeri possint. Dionysius Halicarnassensis arch. Rom. I, 12. eum vocat συγγραφέα πάνυ ἀρχαῖον, qualis quidem non est, sed inter Herodotum et Thucydidem scripsisse videtur, finiit enim historiam suam Siciliensem Olympiade LXXXIX, 2. Diodor. XII, 71, memoravitque (Strab. VI. p. 247. Tz.) Heracleam Italiae Olymp. LXXXVI, 4. (Diodor. XII, 36.) conditam. Dionysius l. c. de eo loquens, συνέγραψε, inquit, ἐκ τῶν ἀρχαίων λόγων τὰ πιστότατα καὶ σαφέστατα, qua

10) Eadem narrant Polyaenus strateg. II. 14, 2. et Aeneas Poliorcet. cap. 11. ad calcem Polybii ed. Gronov. pag. 1661.

11) Justinus III, 4, 8 sq. Parthenias dicit, quum ad annos XXX. pervenissent, metu inopiae (nulli enim pater exsistebat, cujus in patrimonium successio speraretur) ducem Phalanthum sibi assumsisse, filium Arati, qui auctor Spartanis fuerat juventutis ad generandam sobolem domum remittendae, ut, sicut dudum patrem ejus nascendi auctorem habuissent, sic ipsum spei ac dignitatis suae haberent. Eustathius ad Dionys. Perieg. 376. hominem vocat Philanthum, sed genuinum esse Phalanthum, jam vidit Tanaquil Faber ad Justin. l. c. cf. Davis. ad Maxim. Tyr. p. 623.

12) Utramque Antiochi et Ephori narrationem legimus etiam apud Strabonis excerptorem in geograph. min. tom. II. p. 76 sq. Huds.

ratione quoque in sequente narratione versatus esse videtur [13]).

Messeniaco bello conflato, narrat Antiochus, eos, qui Lacedaemoniorum castra non fuissent secuti, servos lata sententia esse judicatos helotesque dictos [14]), qui vero nati essent durante bello liberi, eos Parthenias appellatos et ignominia notatos fuisse. Hos iniquissime rem ferentes, quum numero valerent, insidiatos esse populo, quod quum populus sensisset, submisit quosdam, qui ficta cum illis amicitia insidias patefacerent. Inter conspiratos fuit etiam Phalanthus, princeps reliquorum habitus et qui omnino a senatu delectis invisus erat [15]); compositum fuit, ut ludis Hyacinthinis in Amyclaeo commissis, quando galerum Phalanthus capiti imponeret, impetus fieri deberet in populares, quos coma notos faciebat. Sed quum quidam occulte detexissent institutum Phalantheae factionis, certamine jam incepto, praeco in medium progressus edixit, ne Phalanthus galerum capiti imponeret. Ita Partheniae quum delatam indicio conspirationem sentirent, alii diffugerunt, alii supplices veniam flagitarunt, quos cives bono animo jussos esse in custodiam tradiderunt, Phalanthum autem misere Delphos, ut oraculum de colonia deducenda exquireret, estque ei tale datum:

---

13) Vide de Antiocho auctores laudatos a Wesselingio ad Diod. XII, 71. adde Heynium de font. Diod. in commentatt. societ. Gotting. Vol. VII. p. 115. Niebuhr. hist. Rom. tom. I. p. 97. Göller. de situ et orig. Syracus. Lips. 1818. p. VIII sq.

14) *Οἱ μὴ μετασχόντες τῆς στρατείας δοῦλοι ἐκρίθησαν καὶ ἐκλήθησαν οἱ αὐτοὶ εἵλωτες.* Eustath. ad Dionys. Perieg. 376.

15) Orationem nostro loco obscuram esse, jam sensit Heynius dissert. antiquar. tom. I. p. 98; Siebenkeesio quaedam deesse videntur. Prodest tamen, contulisse Maximum Tyrium tom. I. p. 97. Reisk: *ἐπιβουλεύει Φάλανθος τοῖς ἐφόροις καὶ Παρθενίαι Σπαρτιάταις.* Fortasse sunt *οἱ παρὰ τῆς βουλῆς ὀνομασθέντες* ipsi ephori, nisi alia huic opinioni obstant. cf. Mülleri Doriens. tom. II. p. 216 sq.

Σατύριον τοι δῶκα, Τάραντά τε πίονα δῆμον
Οἰκῆσαι καὶ πῆμα Ἰαπυγέεσσι [16]) *γενέσθαι.*

Eo itaque profecti cum Phalantho Partheniae a barbaris et Cretensibus [17]), qui loca ista occupaverant, recepti sunt.

Has narrationes quoniam de his rebus sunt antiquissimae, in quibus omne nititur judicium, integras dedimus. Si ad alios auctores respicimus, eos tam similia iis, quae prodidit Ephorus, exhibentes deprehendimus, ut vix Antiochum legisse videantur [18]). Quae apud Justinum III, 4. traduntur, ea ex Ephori Hellenicis depromta sunt, ut recte jam olim judicavit Heerenius (de Trogi Pompeji fontibus et auctoritate in commentatt. societ. Gotting. Vol. XV. class. hist. p. 214.) pro sua sententia id afferens, Justinum ad Ephori exemplum in rebus Messeniacis uberiorem esse quam alibi. De seditione Partheniarum nihil dixit Justinus, quam minus gravem censens potuit omittere, contra Ephorus nihil de Phalantho et reliqua historia, quam narrat Justinus, sed nullum inde probatur judicium de fonte quo Justinus, vel is potius, quem in epitomen redegit, ipse Trogus usus est, quoniam non totum Ephori opus, sed id modo, quod Strabo ex illo delegit, aetatem nostram tulit, quamquam alium etiam praeter Ephorum scriptorem Trogo ad manum fuisse non negaverim. Si paucis ab Ephoro discedit Ju-

---

16) Sic emendavit Xylander pro Ἰαπύγεσσι, quod metro repugnat. cf. Dionys. Perieg. 379. Virg. Aen. XI. 247. et alios.

17) Cretenses fuisse dicti sunt Messapii secundum ea, quae prodiderunt Herodotus VII, 170. aliique; equidem Messapios non minus quam Japyges Oscae originis fuisse, persuasum habeo, verum longum esset, sententiam hoc loco ad liquidum perducere.

18) Quae enim leguntur apud Pompon. Sabinum ad Aen. III, 551. ea non ex Antiocho sed ex Strabone exscripsit scholiastes.

stinus, ut in ipsa belli Messeniaci causa, in rebus tam divulgatis fieri potuit, ut una alterave narratio ab ea, quam Ephorus conscripsit, diversa scriptoris memoriae obversaretur; quod autem nobis ad judicium summum videtur, in eo positum est, quod idem refert Justinus de Spartanorum jurejurando quam Ephorus.

Diodori verba XV, 66, qui rem paucis absolvit [19]), non est quod magni faciamus, videtur et is Ephorum secutus esse (cf. Heyn. de font. Diod. in comment. Gotting. Vol. VII. p. 108.), nec magis curandus est Dionysius Halic. arch. Rom. XVII, 1. ed. Maji similia referens; quae enim paullo post protulit plane nova, infra consideranda sunt. Eustathius ad Dionys. Perieg. 376. in narratione de Spartanorum jurejurando eundem sequitur Ephorum, cujus sententiam de seditione affert verbis: *ἄλλοι δὲ ἱστοροῦσι κ. τ. λ.*, nec minus Antiochi: *ἕτεροι δέ φασι*; ante oculos habuit Strabonem, quem pro more suo ad verbum exscripsit, integra enim Antiochi et Ephori opera illius adhuc tempore exstitisse parum probabile est. Quod autem dicit Eustathius, Parthenias propter malam rei publicae administrationem e civitate expulsos esse, id hominis ratiocinationi tribuo, qui temporis simul male rationem habuit; memoriae ipsius obversabatur Argivorum exemplum (Mülleri Doriens. tom. II. pag. 56.) vel aliud.

Servium tandem commemoro non pretii et dignitatis causa, sed ut hic quoque, quemadmodum in Arionis fabula, quam incertae factae sint temporis lapsu Graecorum narrationes celebriores, appareat. Rem simili modo, quo Ephorus in Messeniaco bello primo, de Spartanorum cum Atheniensibus bello tradit auctor ad Virg. Georg. IV, 126. et Aen. III, 551, ubi primam hanc narrationem ponit, ut eam veram

---

19) Certe autem accurate egerat Diodorus de origine Tarenti aliarumque coloniarum in libris deperditis. cf. Heyn. in comment. societ. Gotting. Vol. VII. p. 105 sq.

censuisse Servium dicas. Cujus rerum confusionis causa fieri potuit mutuum Spartanorum et Atheniensium odium, ita ut ad hos translatum sit, quod de Messeniis constabat; quum enim duobus locis idem referat grammaticus, nolim solis librariis errorem imputare, quod est Simsoni judicium chron. ed. Wesseling. pag. 524. Deinceps Servius alium praebet fabulae ordinem, Lacedaemonios jurejurando obstrictos, postea victores e Messenia reversos, quum vidissent multitudinem juvenum ex servorum et dominarum virginum concubitu ortam [20]), servos patibulos suffixisse, filios strangulavisse, nepotes fugasse; quae omnia modum excedunt, immo sensu carent. Praeferenda ideo est narratio subjuncta, quae vulgarem famam de Phalanthea Partheniarum colonia sequitur. Servius unde sua hauserit, ne conjicere quidem licet [21]), non lautissimis certe fontibus eum usum esse, merito dicas; pari modo mendis fucata sunt quae narrat Isidorus origin. IX, 2, 81, ubi tamen lectionis major quam rerum turbatio est. Videas denique Lactantium instit. I, 20. et Scymnum 332.

3) *Partheniarum fabulae indoles et origo.*

Fontibus historiae nostrae diligenter collatis, superest, ut, quid verum sit in iis, consideremus. Ac primum quidem ex iis, quae dicta sunt, modo Ephori et Antiochi narrationem severiori examine dignam esse apparet. Utramque comparantes in eo statim offendimus, Antiochum antiquiorem scriptorem nihil accuratius tradere de Partheniarum origine, id quod

---

20) Rem invertit Hesychius: *Παρθένιοι, οἱ κατὰ τὸν Μεσσηνιακὸν πόλεμον τοῖς Λάκωσι γενόμενοι ἐκ τῶν θεραπαινῶν*, quam vocem Simsonus in chron. ed. Wessel. p. 524. mutat in *παρθένων*.

21) A Graeco aliquo auctore Servium sua mutuatum esse, monstrant verba: *breve* oppidum, quod illic *βραχὺ* vocabatur, ut sagaciter observat Cluverus Ital. antiq. p. 1229.

Straboni excerptori vix tribuas, sed vel ignoravit, vel tradere noluit historiam illam paene ridiculam Antiochus, utpote qui ea modo eligere solebat, quae ipsi firma et manifesta videbantur. Est autem Ephori narratio admodum inepta, ut jam olim perspexerunt viri docti Clavier hist. prim. Graec. temp. tom. II. pag. 208. et ante hunc Manso Spart. I, 2. p. 277 sq., qui plane probat Antiochum, de re satis recte judicans. Amphea enim, Messeniae oppidum in finibus Laconiae, quo Lacedaemonii in bello contra Messenios utebantur ὁρμητηρίῳ (Pausan. IV, 5, 3.), nimis propinqua erat Spartae, ut jusjurandum ruptum non fuerit [1]), ac si ipsi milites domum redire nolebant, uxores facile arcessere poterant, ita ut juvenes in patriam mitti, minime opus esset; praeterea rei adversatur antiquissima belligerandi ratio, qua ingruente hieme domum missi sunt milites, nec minus morum apud Spartanos severitas, quare magnam fictionis speciem prae se fert narratiuncula. Verum si eam ab Ephoro fictam esse diceremus, ad quam sententiam ducere posset Antiochus illo antiquior, sed de re nihil prodens, fortassis audaciores videremur, neque Ephorum mythicis historicam veritatem tribuere solentem tam graviter incusaturi sumus, ut nullo testimonio usum, soli ingenio indulgentem, eum, quum quaedam de jure jurando audivisset, ad explicandum Partheniarum nomen haec sibi finxisse, existimemus. Dicamus potius, Ephorum rem vel ex belli Messeniaci scriptore antiquo, vel ex ipso populi ore, vel aliunde temerius arreptam nimis credulum [2]) tradidisse, quum rei ne Pausanias quidem videatur

---

[1]) Quod factum esse anno quinto belli, testatur Pausanias IV, 7, 2 sq., ubi seniores juventuti domum reversae jurisjurandi, quo eos se obstrixisse patet ex Pausania IV, 5, 3, contemtum exprobrant; hinc recte conjicias, non omnino vanum commentum esse jusjurandum illud.

[2]) Credulum fuisse Ephorum jam veteres arbitrati sunt. cf. judicia ap. Voss. de hist. graec. I, 7. pag. 36 sq.

fidem habuisse, quippe qui ejus memorandae oblata occasione vix eam reticuisset, si credidisset. Probabile est, ipsam narrationem exstitisse prave intellectis vel de industria odiose descriptis Spartanorum moribus. cf. Mülleri Doriens. tom. I. pag. 148; sed illi mores quales fuerint, ne digressione disquisitionem nostram intercipiamus, silentio praeterimus, partim quod nota res est, partim quod olim minus recte descripta a Meursio miscell. Lacon. II, 3., Cragio de republ. Lacedaem. p. 130 sq., Claviero hist. graec. tom. II. p. 153 sq., melius a Mansone Sparta I, 1. p. 141 sq., optime tandem a Müllero Doriens. tom. II. p. 280 sq., perspecta sit. Spartae fabula illa oriri non potuit, Spartanos enim non dixeris majorum mores ad infamiam pervertisse, sed potius ficta est apud Messenios non sine quodam in dominos odio, quod omnino videtur premendum esse in historia bellorum Messeniacorum, videmus enim, res aliter a Spartanis aliter a Messeniis narratas esse [3]); nec dubitamus, quin in Italiam perlata sit fabula illa de Partheniarum origine, non quidem ab ipsis Tarenti conditoribus, quippe qui ignominiosam originem, si talis fuisset, divulgare noluissent, sed a colonis Messeniorum, qui iterato abierunt in Italiam. cf. Raoul-Rochett. hist. colon. graec. tom. III. p. 279 sq. Mülleri Doriens. tom. I. pag. 142.

Fuisse illicitam mulierum Spartanarum virorumque domi relictorum consuetudinem, ut censet Clavier l. c. pag. 209. fundamentum historicum narrationis quaerens, in quam sententiam etiam cessit Raoul-Rochettius l. c. pag. 236. pro civitatis Spartanae ingenio non concedo, quamquam Heraclides Ponticus polit. §. 2. et schol. ad Horat. Od. II, 6, 12. Parthenias servorum ex Lacedaemoniis filiabus filios fuisse tradunt. Immo ex nostra sententia multum

3) Vide Pausaniam IV, 4 sq., ubi diversam famam de belli Messeniaci exordio apud Lacedaemonios et Messenios fuisse, legimus.

ipsi Partheniarum nomini tribuendum est, quod ut recte explicari posset, sensim sensimque narratio de eorum origine conformata est, quam serius firmare videbatur ipsa Tarentinorum urbs ad morum licentiam et molle vivendi genus inclinata cf. Mülleri Doriens. tom. II. pag. 83. tom. I. p. 126. Mansonis Spart. I, 2. p. 281. A voce *πάρθενος* complura nomina propria, geographica [4]) maxime, duxerunt originem, nec dubitandum est, quin ferme omnia aut fundamento mythico nitantur, aut fabulis explicata sint, quod de aliis conjicere licet, de Parthenio autem Paphlagoniae fluvio (Xenoph. Anab. V, 6, 9. VI, 2, 1.) constat; is enim nomen inde accepisse dictus est, quod in eo Diana lavari solebat. Apollon. Rhod. II, 936. ibiq. schol. Ipsum Parthenium Arcadiae montem [5]) nomen suum debere Lacedaemoniorum Partheniis, qui ibi aliquando consedissent, priusquam in Italiam navigarent, conjectura est, quam Servius ad Virg. Eclog. X, 57. inter alias proposuit. cf. Tzschuck. ad Melam II, 3, 5. Ipsius Partheniarum nominis duae videntur fuisse, nisi formae, certe scribendi rationes, *παρθενίαι* et *παρθενεῖαι* (apud Romanos Partheniae), derivatae ab adjectivo *παρθένιος* vel *παρθένειος* [6]), unde exstitit nomen in *ας*, termi-

---

4) Sic mare Parthenium. Macrob. saturn. VII, 12. extr., sinus Parthenius. Eustath. ad Dionys. Perieg. 112., Phocensium portus Parthenius in Italia. Plin. nat. hist. III. 10, ex eo Solin. II, 8., promontorium Parthenium. Ptolem. III, 6. p. 74., Parthenium Mysiae urbs. Strab. tom. II. p. 392. Tz. adde Stephan. Byz. *Παρθένιον. Παρθένιος. Παρθενόπολις.* Ipsa Samos olim Parthenia dicta est. vide Panofka res Sam. Berol. 1822. p. 8. sq.

5) Abs quo Junonem Partheniam dictam esse, censere videtur scholiastes ad Pind. Olymp. VI, 88. cf. Boeckhii explicatt. pag. 161 sq.

6) Quae scripturae diversitas non rara est in hoc vocabulo, sic *παρειθενία* et *παρθένια* (virginitas), *παρθένια* et *παρθένεια μέλη*. Si quid discriminis inter utramque formam est, *παρθένιον* de eo dictum velim, quod virgini aptum est, *παρθένειον* de eo, quod a virgine originem habet, ita ut

natione proprium factum; sed alibi vocantur Partheniae appellativo nomine *παρθένιοι*. Polyaen. II, 14,2. Hesych. s. h. v. (cum alio loco sint *παρθενίαι* s. v. *ἐνεύνακτοι*). Etym. Magn. s. v. *γνήσιος*. schol. Iliad. XVI, 180, et sic latine Parthenii[7]) Lact. instit. I, 20, nihil autem significant nisi spurios. Justin. XX, 1, 15. Simili fortasse ratione judicare licet de Partheniarum ducis, Phalanthi, nomine, qui male nonnunquam scribitur Palantus vel Pallantus, ut in quibusdam libris apud Justinum III, 4, 8, et Servium ad Georg. IV, 126, non enim ei res est cum Evandro Pallantio (cf. indic. ad Ovid. Fast. ed. Gierig. s. v. Pallantius) aut ceteris Pallantibus v. Staveren ad Hygin. p. 354. Nomen appellativum potius fuit quam proprium, *φάλανθος* enim idem est quod *φαλακρός*, calvus, Pollux II. cap. 3. [8]), unde sic vocatur senex. Menag. ad Diog. Laert. VII, 160. Videmus ab illa voce appellari urbem et montem Arcadiae. Salmas. ad Solin. pag. 13. a., quod eo magis mirum est, quia ibidem quoque Parthenii saltus erant. Virg. Eclog. X, 57. Clandestinum tamen rerum nexum hic latere non dixerim, sed Phalanthus mons nomen ob eandem caussam videtur accepisse, ob quam Siciliae promontorium, quod hodie vocatur capo di Rasiculmo, appellatum est Phalacrium, nimirum ob fastigium frondibus destitutum. Cluver. Sicil. antiq. pag. 304. adde, Phalacram fuisse Idae promontorium. schol. Lycophr. 24. ibiq. Potter. Propter rei similitudinem respiciendum duco, quod Herodotus I, 163. tradit de Arganthonio Tartessi rege, quod nomen etiam monti erat Propontidis, Phocaeis haud ignoto, *ἀργανθών*

παρθενεῖαι, quae forma usitatior est, etiam melior sit. cf. Matthiae grammat. graec. pag 131.

7) Apud Servium ad Aen. III, 551. in codice aliquo occurrunt Partheniatae, item Parthenidae apud Prob. ad Georg. II, 197, quae nominis formae grammaticis solis deberi videntur.

8) Qui levi scripturae diversitate habet *φάλαντος*, atque hoc modo saepius scribitur herois nomen.

antem est: album florem mittens, ideo nomen ab initio appellativum, ut φάλανθος. cf. Hermanni et Creuzeri epistolas de Homero atque Hesiodo. p. 178 sq. Haec omnia monità sunt, ut Phalanthi non minus quam Partheniarum nomini subesse notionem aliquam, in qua eruenda operam frustra consumsit antiquitas, perspicuum fieret.

Jam quale nostrum de tota Partheniarum fabula judicium sit, primum in universum exponemus, deinde ad majorem probabilitatem sententiam pro viribus ducturi. Collatis Ephori et Antiochi narrationibus, vides utrumque in eo convenire, seditione facta Parthenias in coloniam abiisse; seditiones autem non raro deducendis coloniis copiam fecisse [9]), jam perspexit Seneca ad Helv. cap. 6, et ipse Servius ad Aen. I, 12. distinguit inter colonias ex secessione atque publico ex consilio conditas [10]). v. Heyn. de vett. colon. jure in opusc. tom. I. p. 247. Romanos maxime constat coloniis deducendis compressisse seditiones, atque eandem ob causam Parthenias in coloniam missos esse, probatur auctorum narrationibus. Justinus III, 4, 8. Parthenias metu inopiae patriam reliquisse censet, ut possis arbitrari, nimis magnam populi multitudinem causam fuisse deducendae coloniae, quod saepius in civitatibus antiquis, maxime apud Cretenses, factum est, neque obstat quod praecesserat bellum Messeniacum, quoniam bellis gestis non diminutam sed auctam esse vim hominum diversissimis temporibus probatum est. Verum inopiae mederi potuit agri Messenii pars, neque

---

9) De causis coloniarum deducendarum exposuerunt Hegewisch de colon. graec. p. 140 — 154. et Raoul-Rochette hist. colon. graec. tom. I. p. 15 — 25.

10) Ad quam differentiam male refert ἀποικίαν et κληρουχίαν Santo-Crucius ap. Barthelemy itin. Anarchars. vol. VII. tab. IV. Sed de ἀποικίᾳ et synonymis vocabulis potius consulendus est Poppo in observatt. critic. ad Thucyd. p. 182, deque κληρουχίαις Boeckhius oecon. Athen. tom. I. p. 455 sq.

ipsa Lacedaemoniorum terra, quum vacua esset prioribus incolarum emigrationibus, nimia populi multitudine laborabat (cf. Mansonis Spartam I, 1. pag. 227 sq.), quare illo tempore et loco accidisse, quod Heraclides Ponticus §. 25. tradit de Chalcidensibus Rhegii conditoribus, qui fame agitati venerunt ab Euripo (v. Raoul-Roch. hist. colon. graec. tom. III. pag. 277 sq.) non verisimile est. Suspicio oritur, Parthenias civilem factionem fuisse, in quam partem cedit Hegewisch de colon. graec. pag. 111., quibus tamen unde nomen obtigerit, hodie vix firme constitui potest; subesse ei ludibrii aliquid, a vero non alienum videtur, Partheniae enim vocari potuerunt homines molles et imbelles, qui non virorum sed mulierum instar se gererent, ita ut vel militiam recusarent, uti Antiochus de Partheniarum parentibus dixit. Rem probabiliorem reddit Phalanthi nomen, hominis calvi, sic vocati ob mollem vivendi rationem, quemadmodum apud Romanos quoque, si quem calvum appellabant, paene convicium erat; sed rectius etiam judicaveris, hoc nomen pertinere ad aliquam morum diversitatem, nam populares coma notos faciebat, ut ait Antiochus, populares autem sunt Spartani, qui ab adolescentia comam nutribant ac dimittere solebant. Xenoph. respubl. Lacedaem. XI, 3. Cragius p. 151. Mülleri Doriens. tom. II. p. 270, neque a Spartanis originem habere poterant Partheniae, quum parentes eorum helotes factos esse tradiderit Antiochus, quod Spartanorum nemini accidisse videtur. cf. Schlägerum de helotibus pag. 16. laudatum a Mansone Spart. I, 2. p. 280; quare Parthenias ex Laconum numero fuisse, quod pluribus mox ostendemus, non parum probabilitatis habet.

Ingeniosius quam verius Müllerum Doriens. tom. II. pag. 282 sq. disputasse puto, eos pueros Parthenias dictos esse censentem, qui ante uxoris in conjugis domum deductionem nati sint, nam clanculum jam ante matrimonium amore fruebantur parentes. Nititur vir doctus in comprobanda sententia sua Hesychii auctoritate, cujus tamen verba si accurate con-

sideraveris [11]), nihil quod huc ferre possit invenies, sed id modo apparet, *παρθενίους*, quos alii *σκοτίους*, alii *κοριναίους* vocabant, alii ab his subtilius distinguebant (schol. ad Iliad. IV, 499), nihil esse nisi spurios, ut bene Justinus latine Partheniarum nomen expressit; in quam sententiam etiam cedere videntur scholiastes ad Iliad. XVI, 180. Etym. Magn. s. v. *γνήσιος*. Serv. ad Georg. IV, 126, his enim auctoribus Partheniae ii sunt, quorum matres pro virginibus habentur. cf. Crag. de republ. Lacedaem. p. 20 sq. Hesychio nihil amplius notum erat quam quod ceteris scriptoribus, quorum notitiam vera Partheniarum nominis origo effugit, ut temporis lapsu in nominibus factionum eo facilius fieri potuit, quo saepius obscuris et fortuitis causis illa exstitisse etiam recentioris aetatis historia probat. cf. Hegewisch. de colon. graec. pag. 111. Praeterea si Partheniae filii erant ante matrimonium geniti, quum eos minoribus natu posthabitos fuisse, aequitati repugnet, quidni devictis Messeniis sortem, quam redituris pollicebantur cives, obtinere poterant? Illa autem, quae dicit Homerus Il. XVI, 180. de Eudoro *παρθενίῳ, τὸν ἔτικτε χορῷ καλὴ Πολυμήλη*, an ad Doriensem virginum *ἀγέλην* referri queat, invitis scholiis, vehementer dubito, neque magni momenti videtur, Dionem Chrysost. tom. I. pag. 273. Reisk. (cf. ibi Morell. collectan. tom. II. p. 590 sq.) illum Homeri locum citantem mox verba facere de Spartanorum Partheniis. Sed aliud id est, quod monet Aristoteles Polit. V, 6. p. 166. Göttl., Parthenias

---

11) Hesych. *Παρθένιοι: οἱ ἐξ ἀνεκδότου λάθρα γεννώμενοι παῖδες, ἀπὸ τοῦ δοκεῖν ἔτι παρθένους εἶναι τὰς γεννησαμένας αὐτούς.* Idem auctor alibi s. v. *σκότιος: νόθος, ὁ λάθρα γεννηθεὶς τῶν γονέων τῆς κόρης. τοὺς γὰρ μὴ ἐκ φανερᾶς, λαθραίας δὲ μίξεως γεγονότας Σκοτίους ἐκάλουν, ἔνιοι Παρθενίους, ἄλλοι Κοριναίους*, Idenique s. v. *ἐνεύνακτοι: οἱ παρθενίαι.* cf. intpp. ad hos ocos. Sed rursus alii sunt *ἐπεύνακτοι*, de quibus vide ex Athenaeo disputantem Cragium de republ. Lacedaem. pag. 23.

fuisse ἐκ τῶν ὁμοίων, de quibus ob exiguum apud scriptores eorum mentionem injicientes locorum numerum parum certa constant [12]). Videntur hoc nomine apud Spartanos ii fuisse designati, qui ob vitam probam et honestam, respectu habito non tam stirpis quam ipsorum hominum, facta tamen aliqua servilis status oppositione, nobilibus quodammodo pares existimabantur, quod quidem non repugnat ignominiosae Partheniarum origini, sed dicit Aristoteles l. c. paullo ante, seditiones in aristocratiis tum oriri, ὅταν ᾖ τὸ πλῆθος τῶν πεφρονηματισμένων ὡς ὅμοιον κατ' ἀρετήν, οἷον ἐν Λακεδαίμονι οἱ λεγόμενοι παρθενίαι, quae gravia summi auctoris verba quo referenda sint, statim intelligetur, ubi nostram de Partheniis sententiam in universum adumbratam accuratius exponere licuerit.

4) *Tarentum colonia Amyclaeorum.*

Ab aliorum scriptorum de origine Tarenti sententiis perquam recedit Dionysius Perieget. 376. sic locutus: ἥν ποτ' Ἀμυκλαίων ἐπολίσσατο καρτερὸς Ἄρης [1]), quae verba Eustathius in commentario ad l. c. refert ad Lacones, quorum pars erant Amyclaei [2]). Jam si quis dixerit Dionysii interpreti assentiens, poëtam voce Ἀμυκλαίων usum esse, vel ut ornatius eloqueretur, vel metro obtemperantem [3]), erroris eum vix poterimus convincere, elucebit tamen, vocabu-

---

12) Quae exquiri possunt post alios dedit Müllerus Doriens. tom. II. pag. 33 sq.

1) Et sic, qui Dionysium latine vertit, Rufus Festus Avienus descript. orbis 523: *Tarentum Amyclaei soboles praedura tyranni.*

2) Assentit Priscianus Perieg. 370: *Tarentum, quod munivere Lacones.*

3) Etsi Lacedaemonii poëtis libentius vocantur Oebalii, Therapnaei, Taenarii, Tyndaridae. Proprium sensum flagitant Amyclaei apud Dionysium pluribus locis, ut infra videbimus.

lum proprio sensu tuendum esse. Ac nihil quidem tribuimus Nicephori Blemmidae verbis pag. 7. ed. Spohn: Τάρας ἥντινα ἐπόρθησαν [4]) Ἀμυκλαῖοι, etsi enim nonnulli speraverant, ab hoc auctore magnam lucem concepturum esse Dionysium, tamen hodie constat, ipsius opusculum, quod inscribitur γεωγραφία συνοπτική, nihil exhibere nisi Dionysii carmen in pedestrem orationem solutum. cf. Passovii praefat. ad Dionys. Perieg. pag. V. Sed optimo fortasse jure Dionysius laudare potuit Amyclaeos, si eos apud Eratosthenem invenit, quem praecipue ipsum secutum esse scimus. cf. Eustath. ad Dionys. Perieg. init. p. 2. ed. Huds. Salmas. Plin. exercitatt. tom. I. p. 491. b. A. tom. II. p. 878. a. A. Res accuratius considerantem latere nequit, quod narrat Antiochus, Parthenias sibi elegisse ludos Hyacinthios ad exsequendam conjurationem, quam rem tacite omittit Ephorus, cujus tamen verba non minus quam Antiochi prave intelliges, nisi de ludis instituendis cogitaveris. Phalanthi κυνῆ apud Antiochum idem valet, quod πῖλος apud Ephorum, etsi enim κυνῆν gestabant helotes (Myron ap. Athen. XIV, 657. d. Meurs. miscell. Lacon. I, 17. Mülleri Doriens. tom. II. p. 40.), bellicum aeque ac rusticum capitis tegmen erat. Valcken. ad Theocrit. Adoniaz. pag. 345. Indicari autem ὁπλιτῶν δρόμον, qui ab initio fuit ἀγὼν ἐπιτάφιος, certandi genus ex Persicorum bellorum tempore apud Graecos maxime usitatum, quod tamen, quum bene congruum sit Spartanae disciplinae, nescio an longe antiquius fuerit, recte vidit Heynius dissert. antiquar. tom. I. pag. 97. sq., probante Mansone Spart. I, 2. p. 208. Est autem in fabula Partheniarum maxime respiciendum ad illos

---

4) Mire ἐπόρθησαν pro: ἐπολίσσατο. Similiter paraphrasis graeca Dionysii p. 12. ed. Huds.: Τάρας ἣν ποτε Ἄρης τῶν Ἀμυκλαίων ἐπόρθησεν, contra pag. 24. ἐπόλισαν explicatur verbo ἔκτισαν. Reputa, Amyclaeos, quam urbem barbarorum destruxerunt, eam postea etiam restituisse.

Hyacinthii Apollinis ludos [5]), Amyclis [6]) quotannis celebratos. (Ovid. Metamorph. X, 219. ibiq. Gierig) mensi, qui Ἑκατομβεύς vocatur apud Lacedaemonios Hesych. Ἑκατομβεύς, non autem comparando Atheniensium Hecatombaeoni, ut fecit Dodwellus de cyclis dissert. VIII. sect. 17, verum potius Thargelioni. cf. Herrmanni librum de fest. graec. tom. II. p. 156. Qui victores exstiterant in his ludis, procul dubio a poëtis laudibus celebrati sunt, atque inde explicatur Hyacinthiae fabulae exornatio. Heyn. dissert. antiq. tom. I. p. 96, certe Amyclaeorum res a multis scriptoribus pertractatae erant. Heyn. exc. II. ad Aen. X.; jam etiam fieri potuit, ut poëtarum aliquis Partheniarum, qui olim festum perturbaverant, mox Italiae urbem non sine gloria nacti erant, mentionem faceret, ita ut in hunc modum res divulgaretur. Quin oritur suspicio, ipsum Partheniarum nomen cum sacris Apollinis cohaerere, erant enim in ludis Hyacinthiis pompae virginum Athen. tom. II. p. 46. Schweigh., quemadmodum in aliis Spartanorum solemnibus. Hesych. et Favorin. κάναθρα. Meurs. Graec. feriat: Helenia. Herrmann. de fest. Graec. tom. II. p. 46; accedit, quod in fabulis Atheniensium occurrunt παρθένοι Ὑακυνθίδες, quas tamen con-

---

5) Dixerunt de iis Athenaeus IV. p. 139. ex Didymo, qui Polycratis Laconica exscripserat, atque inter recentiores Meursius Graec. feriat: Hyacinthia. Heynius dissert. antiq. tom. I. p. 95—107. Manso Spart. I, 2. p. 203—209. Herrmannus de fest. Graec. tom. I. p. 164 sq.

6) Antiochus: ἐν Ἀμυκλαίῳ, Ephorus minus accurate: ἐν ἀγορᾷ. Ἀμυκλαῖον memorarunt etiam Thucydides V, 18. 23. et Athenaeus IV. p. 140. A. τέμενος vocat Polybius V, 19, 3., Ἀπόλλωνος ἱερόν Strabo VIII. p. 179. Tzsch., unde Amyclas Apollini sacras dixit Eustath. ad Iliad. p. 295. Rom. Templum fuisse eo loco, ex veteribus scriptoribus non satis apparet, nullam certe ejus mentionem injicit Pausanias III, 18., ubi agit de throno Apollinis Amyclaei, de quo vide Heynium dissert. antiquar. tom. I. init. Fourmontus tamen in act. acad. inscriptt. tom. XV. p. 402. ruinas templi Amyclaei vidisse gloriatur; an jure, videant alii.

fusione niti censuit Heynius ad Apollod. observatt. p. 346 sq., neque in his rebus aliquid pro certo dederim.

Jam quod ad disquisitionem nostram majoris momenti est Hyacinthi Apollinis apud Tarentinos cultum Polyb. VIII, 30, 2. respicit, quem tamen Partheniae, etiamsi Spartanis originem suam debuissent, servare potuissent, quoniam, quum ab initio Laconum esset, mox ad Spartanos Laconicae dominos factos transiit, ut Hyacinthi sacra et Apollinis juncta esse, dicit Pausanias III, 10, 1. cf. III, 19, 3 sq. Omnino lugubris Hyacinthii cultus abhorrebat ab Apollinis Doriensis solemnibus, ut bene animadvertit Müllerus Doriens tom. I. pag. 353 sq., quod sacrorum genus quum Tarenti floruisse videamus haud obscuris vestigiis, ad Laconicum [7]) potius quam Spartanum urbis exordium ducimur. At ipsos Amyclaeos abiisse Tarentum in coloniam, plura videntur comprobare, Tarentinos enim coluisse Dioscurorum numina, ex nummis licet conjicere (Heynii opusc. tom. II. p. 220.), qui dei sunt vere Amyclaei Mülleri Orchom. p. 339. Boeckhii explic. ad Pind. pag. 235; eodem ferunt parentalia Atridarum, quorum Amyclae vetus domicilium erant (Müller. l. c.), apud Tarentinos. Aristot. mirab. auscult. 114. Deinde, quod tamen hoc loco probari nequit, quum Tarentum quidem temporis lapsu a Spartanorum moribus defecerit, multa etiam eorum instituta nunquam habuisse videtur, quare recte dixisse Strabonem tom. II. p. 240. Tzsch. (cf. Liv. XXV, 15.) censeo, Tarentum Achaeorum urbem vocantem, nimirum ab Achaeis, veteribus Laconiae incolis (Clavier hist. graec. tom. II. p. 122.) conditam [8]). Sum-

7) Neque unquam Spartanorum, verum semper Lacedaemoniorum colonia Tarentum vocatur, quamquam inter utrosque non accurate distinxerunt scriptores. cf. Manson. Spart. I, 1. p. 69.

8) Addo, Parthenias a Taenaro promontorio solvisse, quod νόμου Ἀμυκλαίου fuit, uti Müllerus me docuit.

mum vero Amyclaeae Tarenti originis argumentum in ipsa Amyclarum historia positum est, ex qua pro instituto nostro nonnihil est commemorandum [9]). Amyclae, quarum mentio jam fit apud Homeram Il. II, 584, vetus sedes erant Achaeorum, Sparta, abs qua XX stadiis aberant Polyb. V, 19, 2, Doriensium, qui in Laconiam immigraverant; proditionis mercedem Amyclas accepit Philonomus quidam, sed ii, quos huc deduxerat, coloni, quum postea movissent seditiones in Dorienses, expulsi abierunt in Cretam (Conon 36 et 47. ibiq. Kannius), ubi plures Amyclaeorum coloniae erant. Stephan. Byzant. Ὀνύχιον. Eustath. ad Iliad. pag. 295. Rom., de aliis vide Dionys. Perieg. 213. et 860. ibiq. Eustath. Quarum coloniarum plurimae incolarum in Spartanos seditionibus originem suam debere videntur, deinceps enim erant bella inter utrumque populum, ad quae pertinet id, quod Servius ad Aen. X, 564. male traxit ad Amyclas Italiae oppidum. cf. Heyn. exc. II. ad Aen. X. add. Mülleri prolegom. ad mytholog. p. 402. Tandem haud diu ante bellum Messeniacum primum Teleclus, qui in Spartanorum imperio excepit patrem Archelaum, Amyclaeos post pertinacem defensionem penitus superavit. Pausan. III, 2, 6. III, 12, 7. Manso Spart. I, 2. p. 238 sq.; quorum bellorum seriori jam tempore gestorum, non dubitamus, quin praecipua causa Lycurgi legum latio fuerit, cui quum subjicere se nollent Amyclaei, aliique Lacones, in Italiam pars eorum se contulisse fertur (Dionys. Halic. arch. Rom. II, 49.), ubi Servius ad Aen. l. c. Lacedaemoniae originis urbem Amyclas novit. Etiamsi autem in urbis hujus origine perscrutanda scriptores sola nominum similitudine ductos esse [10]), credere licet, nihilominus La-

9) Amyclaeorum historiam exposuit Müllerus Orchom. p. 316 — 321. cf. Doriens. tom. I. pag. 91.

10) Vel ad Sabinos pervenisse dicuntur Lacedaemonii, quod sola eorum apud Romanos scriptorum auctoritate ni-

conum, Amyclaeorum maxime, colonias in Italiam deductas esse, vix negari poterit. Strab. p. 333. ed. Oxon: ibiq. Casaub. cf. Raoul-Rochett. hist. colon. graec. tom. III. p. 112—117. Quidni igitur, finito bello primo Messeniaco, quum Spartani victores quidem exstitissent, sed magna virium contentione debilitati essent [11]), Amyclaeos in περιοίκων statum redactos, adjunctis quibusdam ex helotis, dicamus occasione usos, ut in libertatem se vindicarent, tentasse, quod in Hyacinthii Apollinis solemnibus, ad quae concurrerat Spartanorum multitudo, optime fieri potuit? Spartani autem, ut probant Antiochi et Ephori narrationes, coloniam dimittere satius duxerunt, quam in seditiosos severius agere, sicuti jam antea fecerant in ipso bello Messeniaco, quo tempore colonia Crotonem et ad Zephyrium promontorium deducta est. cf. Raoul-Rochette l. c. p. 185 sq. Quadrant in Amyclaeos egregie quae protulerunt Antiochus et Aristoteles, quare eos coloniae Tarentinae participes fuisse, admodum fit probabile. Contra tantum abest, ut illos solos e Laconia egressos esse censeamus, ut partem potius ipsorum Spartanorum, qui molliori vitae rationi faventes, non pari amore severiores leges et bellicosos mores amplexi erant, Lacones comitatam esse arbitremur, quod colligitur ex Pausania III, 12, 5, Spartae ab iis, qui Tarentum abierunt in coloniam, Minervae imaginem constitutam esse memorante. Ipsum Phalanthum Spartanae originis fuisse, monstrat Antiochi narratio,

titur, qui Graecarum originum studiosi erant. cf. Dionys. Halic. l. c. Serv. ad Aen. VIII, 638. ex Hygino, Gellio, Catone. add. Micali Ital. ante domin. Roman. tom. I. p. 134 sq. Contra Samnitium origo Laconica Straboni tom. II. p. 207. Tzsch. jure videbatur ficta esse a Tarentinis ad jungendam cum populo potentissimo amicitiam.

11) Pace enim per longum tempus non erant fruiti, quum ante bellum Messeniacum inferiores discessissent e bello cum Arcadibus gesto. Clavier. hist. graec. tom. II. p. 169 sq.

ubi κυνῆν capiti impositurus ipsius ὁπλιτῶν δρόμου particeps fieri vult, quod Laconi non licuisset; similiter Myscellus, coloniae Crotoniensis dux Spartanus, Herculis proles esse dicebatur. Ovid. Metamorph. X, 19—59, ibiq. Gierig. Mülleri Doriens. tom. I. p. 126 sq. Verissimum itaque est Pausaniae judicium X, 10, 3: Τάραντα δὲ ἀπῴκισαν μὲν Λακεδαιμόνιοι, οἰκιστὴς δὲ ἐγένετο Σπαρτιάτης Φάλανθος [12]), atque hi sunt homines illi virginei, ludibrio sic dicti, quorum dux fuit calvus. Non sine causa Phalanthum fabula vocat Arati filium, qui juventute domum remissa morum violandorum auctor fuerat civibus, patris similis exstitit filius, qui servorum hominum seditioni favit.

5) *Coloniae Tarentum deductae aetas.*

Absoluta earum rerum, quae urbis originem spectant, expositione, superest, ut pauca addamus de tempore, quo Lacedaemonii Tarentum pervenerunt; Tarantem heroem enim temporis disquisitionem illudere, ex iis, quae disputavimus, perspicuum est. Tarentinorum colonia neque est inter antiquissimas neque omnium, quas Graeci in Italiam Siciliamque deduxerunt, recentissima [1]), sed eadem ferme est originis aetas, quae aliarum civitatium in

---

[12]) Parum accurati sunt in epithetis poëtae Romanorum, unde Horatio Od. II, 6, 12. Phalanthus dicitur Laco, Silio Ital. VII, 665. (vide ibi Rupert.) Amyclaeus, Martiali VIII, 28, 3. Ledaeus, quum rectius ipsum Tarentum vocaverit Tyndarium Silius XV, 350. Novit Phalanthum coloniae Tarentinae ducem etiam Maximus Tyrius tom. II. p. 175. Reisk.; verum etiamsi eum non plane mythicum esse puto, nolim eum pro vera Herculis prole habere, ut viro, docto Gallo visus est.

[1]) Ut censet Hegewisch. de colon. graec. p. 102, qui de Veliensibus non cogitaverat. cf. Münteri Veliam. p. 9 sq. Caute profecto dixit Servius ad Virg. Aen. III, 551: *hoc autem oppidum* (Tarentum) *post multos annos excidii Iliensis conditum quidam dicunt.*

sinu Tarentino potentissimarum, Crotonis atque Sybaris et maximae omnino Graecarum coloniarum partis, quae a patria sua versus occidentem sunt. Circa Olympiadem enim vicesimam ad eum culturae statum pervenerant plurimae Graecorum civitates, quo ipsae jam firmatae legum et institutorum ope, in externum se poterant extendere.

In rebus, quae fabulis exornatae sunt, accuratius discernere tempora difficilis est propositio, sed quoniam Partheniarum colonia, ut aliarum pleraeque, eo Tarentum deducta est tempore, quod recte historicum vocaveris, id saltem gratum accidit antiquitatis perscrutatori, esse inter fabulas [2]) quaedam certiora, ad quae possit recurrere. Ac quum Tarenti exordium bello primo Messeniaco implicitum sit in eo habemus, quo licet consistere. Pausanias IV, 13, 5, nescio quo testimonio vel qua computatione usus (Mülleri Doriens. tom. I. p. 145.), bello prodidit finem factum esse Olymp. XIV, 1., qui annus quum ab illius initio fuerit vicesimus (Tyrtaeus ap. Pausan. IV, 13, 4. Strab. tom. II. p. 289. Tzsch. Diod. XX, 66.), bellum incepisse Olymp. IX, 2. inde sequitur. Iam si Ephoro fidem habemus, qui feminarum legationem retulit in annum belli decimum Olymp. XI, 2, et Justino III, 4, 8, qui Parthenias in coloniam abiisse dicit circa aetatis annum trigesimum, urbem videmus conditam esse Olymp. XIX, quod fere convenit cum Eusebio, qui eam posuit Olymp. XVIII, 1. (cf. chron. lib. II. pag. 119.), consentiente Simsono chron. ed. Wessel. p. 523 sq. et Corsinio in fast. Attic. tom. III. p. 27 sq. Sed accurati quidquam hic constitui non posse, facile apparet, quum enim ipsa narrationis indoles mythica

---

2) Hanc fabularum conformationem seriori etiam tempore invenimus, quam quo Tarentum habuit originem, Heraclea Pontica enim, quae Cyri tempore condita erat circa Olymp. LV. (Scymn. tom. II. p. 56. Huds.), multis fabulis causa fuit. cf. Mülleri prolegom. ad mytholog. p. 169—173.

comprobata sit, id modo arbitrari licet, eam in talem modum fictam esse, ut tempori non repugnaret, quo hanc coloniam deductam esse vel certum erat vel probabile, nec trigesimus Partheniarum annus aliud quam virilem aetatem in universum videtur designare. Quare nolumus diutius in rerum disquisitione haerere, ita ut Eusebii annum, qui abiit in libros plurimos [3]), quoniam falsi speciem non habet, retineamus. Ceterum ex iis, quae dicta sunt, apparet, plures post belli Messeniaci finem abiisse annos, antequam colonia Tarentum deducta est, unde pravum esse Eustathii commentum intelligimus, qui propter malam civitatis inter bellum administrationem Parthenias post Spartanorum reditum ejectos esse ait, quo tamen tempore illi erant pueri; sed rem confudisse videtur auctor cum iis, quae de Partheniarum parentibus tradidit Antiochus, ex quo id modo elucet, Laconum seditiones in bello Messeniaco concitatas etiam postea continuatas esse.

Cap. IV.

Partheniarum fortunae mythicae.

Parthenias refert Justinus III, 4, 10 sq. nec salutatis matribus, e quarum adulterio infamiam collegisse videbantur, ad sedes inquirendas profectos, diuque et per varios casus jactatos, tandem in Italiam delatos esse, ubi occupata arce Tarentinorum,

---

3) Heynii opusc. tom. II. p. 217. Manso Spart. I, 2. p. 327. Hegewisch de colon. graec. p. 102. Raoul-Rochett. hist. colon. graec. tom. III. p. 238. Mülleri Doriens. tom. II. p. 489. Plane aliter statuit de aetate coloniae Larcher chronol. Herod., qui p. 491 sq. edit. prim. eam ponit in Olymp. XXVIII, 3, et p. 466. edit. secund. anno a. C. n. 722, in qua re bis fallitur; in contrarium abit Mazocchius ad tab. Heracl. p. 91 sq., qui ad diluvium refert Tarenti originem.

expugnatis veteribus incolis, sedes constituerint. Nihil constat de his colonorum fortunis, qui an in Arcadia commorati sint, priusquam Taenaro solverent, quo possint ducere Phalanthus mons et saltus Parthenii, valde dubitamus, quoniam circumvagandi per Graeciam causa vix esse potuit, neque tamen Heynio opusc. tom. II. p. 218. assentimus, qui citius Parthenias Laconica egredi debuisse censet, si vera sit diuturna eorum jactatio, nam omnia fabulis tam exornata sunt, ut de annorum serie nihil certi erui possit. Addit Ephorus id modo apud Strabonem l. c. extr., in expugnanda Tarentinorum urbe Parthenias Achivorum ope usos esse, quibus ante suppetias tulissent contra barbaros, neque hoc a vero alienum videtur. Etenim circa idem fere tempus Crotonem et Sybarin venerant coloni Graeci (cf. Micali Ital. tom. I. p. 221), qui dubitare non licet, quin bella gesserint cum harum regionum incolis; neque alia parte, exiguum Partheniarum numerum urbem barbarorum insignem (Pausan. X, 10, 3.) suismet viribus potuisse superare, facile probatur. Sed fabulis valde perturbata est haec prima Tarentinae historiae pars, quare eam mythicis rebus accensentes, quae ex scriptoribus constant, disquisitioni de civitatis originibus addimus.

Antiochum apud Strabonem, Delphos missum esse Phalanthum, qui de colonia deducenda consuleret oraculum, narrantem supra vidimus, cui fidem recusare eo minus nos decet, quo saepius hoc fieri solebat apud Graecos [1]), antequam in coloniam abirent, et quo religiosius Delphicum oraculum etiam posteris temporibus Tarentini venerabantur, ut probant ipsorum donaria Delphis posita. Pausan. X, 10, 3. X, 13, 5. cf. Justin. III, 4, 15. Verum au-

---

[1]) Archias Syracusarum conditor Delphos eodem tempore advenisse dicitur, quo Myscellus, qui Crotonem deduxit coloniam. Strab. tom. II. p. 261. Tzsch. Stephan. Byz. *Συρακοῦσαι.*

tem esse oraculum ab Antiocho laudatum, vel eo refutatur, quod de eadem re duo alia apud auctores servantur oracula mox commemoranda; sunt enim hujusmodi oracula nisi ab ipsis colonis, ut jus aliquod habere viderentur in antiquos incolas — quemadmodum ex nostro intelligitur, cum Tarentini perpetua bella cum Japygibus gesserint — saltem ab iis ficta, qui serius ea collegerunt. cf. Passovium ad Musaeum pag. 36 sq. Recte itaque adnotavit Plutarchus de Pyth. orac. cap. 27, cujusque expeditionis duces, inter quos ipsum Phalanthum laudavit, sedes suas ut sibi promissas, quantis opus esset testimoniis, invenisse. Pertinet ad Delphicam Phalanthi missionem Pausaniae locus X, 13, 5, ubi illum in mari Crissaeo fecisse naufragium et a delphino in terram portatum esse, legimus; quae fabula vereor ne ex ipso donario, cujus Pausanias mentionem facit, exordium habuerit, ut quid rei Phalantho sit cum delphino, qui proprie ad antiquum Tarenti heroem spectabat, explicari posset, ita ut periegetae alicui, abs quo rem accepit Pausanias, quum Delphis commorabatur, narrationem originem suam debuisse, dicas. Neque mirum est, quod in Crissaeo prope Delphos mari Phalanthum a delphine servatum esse ferebant, quoniam est quidam delphinorum cum Delphico oraculo arcanus nexus, hodie, ut nobis videtur, vix satis explorandus ob fabularum, quae huc pertinebant, interitum. cf. Mülleri Doriens. tom. I. p. 315 sq.

Alia, quae Phalantho evenisse, fama erat, servavit idem Pausanias X, 10, 3; illi enim coloniam deducturo Delphis oraculum redditum est, quum sub aethra pluvium animadvertisset, tunc se agri et urbis compotem fore. Sed quum neque per se, quid illud responsum innueret, satis considerasset, neque omnino quemquam interpretum consuluisset, classe in Italiam applicuit. Ibi quum barbaros vicisset, neque tamen vel urbe vel agro ullo potiri posset, oraculum ei in mentem venit, ac plane sibi, quod fieri nullo pacto posset, dei voce significatum, suspicari

coepit, quod scilicet nunquam eventurum esset, ut puro serenoque coelo plueret. Hunc uxor animum despondentem (consecuta enim domo fuerat) amanter multis modis solabatur, et ejus aliquando caput genibus sustentanti, dum pediculos legit, lacrymae prae mariti amore ob adversos ejus casus et irritam spem mulieri obortae, quare effusius flens viri caput perfudit. Tunc primum evolutae sunt oraculi ambages, Aethra enim uxori nomen erat, et ita sequenti nocte Phalanthus Tarentum hostium urbem maritimam maximam et opulentissimam [2]) cepit. — Miram hanc narratiunculam unde Pausanias mutuatus sit, non liquet, nisi forte a Myrone, quem de Tarenti origine in historia sua belli Messeniaci primi verba fecisse, fortasse etiam ex Athenaei loco supra laudato XIV, 657. d., ubi *κυνῆς* mentionem fecerat, conjicere licet. Ceterum nihil veri continere videtur historia, quam quod ex aliis etiam auctoribus constat, colonos Lacedaemonios diu in Italia commoratos esse, priusquam sedes nacti sunt, frequentes enim hominum copia erant sinus Tarentini littora, ut probant perpetua Japygum bella; sed nescio, an aliud lateat sub illis pediculis, quos legit Aethra Phalanthi uxor, Pediculorum (*Ποιδίκλων*) enim Tarento septentrionem versus erant oppida, Rudiae, Egnatia, Barium (Plin. nat. hist. III, 16. Dio. Cass. ap. Schol. Lycophr. 603. Justin. XII, 2, 12.), quae gens vel eadem quam Peucetii, Tarentinorum hostes Pausan. X, 13, 5, vel horum pars erat. Strab. VI. p. 284. et 298. Tzsch. Ac si quid de Pediculis apud Pausaniam indicatum est, recte narrationem illam ad Tarentinos referri arbitror, quamquam plane idem de oraculo, quod datum est Myscello Crotonis conditori, scribit scholiastes ad Aristoph. Nub. 370, ex quo sua hausisse Suidam s. v. *Μύσκελος* [3]), Kusterus censet. Quae

2) Contra Servius ad Aen. III, 551. breve oppidum, quod Taras fabricaverat, a Partheniis auctum esse dicit.

3) De cujus nominis scriptura v. Tzschuckium ad Strabon. tom. III. p. 371.

rerum confusio fortasse soli scriptorum negligentiae debetur, quemadmodum probare videtur exemplum Lactantii Placidi (argum. metamorph. Ovid. lib. X. fab. 1. p. 888. Staveren.), Mycilum (i. e. Myscellum) Alemonis filium, quum Aesarum amnem attigisset, urbem contituisse eamque a proximo tumulo, cui Tares Neptuni filius subjectus erat, Tarentum nominasse, narrantis; veruntamen Crotonis belli Messeniaci primi tempore conditae perobscuram originem aliquatenus cum rebus Tarentinorum, quos Achivis opem tulisse, saepius commemoravimus, cohaerere, haud absonum est.

Accedit tandem Pausaniae narrationi alia Dionysii Halicarnassensis XVII, 2. ed. Maji, qui seditione excitata victos Parthenias, refert, sponte ex urbe secessisse, missaque Delphos legatione redditum esse oraculum, in Italiam navigarent, atque ubi ad Japygiae locum Satyrium fluviumque Tarentum vidissent caprum mari barbam tingentem, ibi coloniam conderent. Itaque cursu instituto fluvio occurrerunt, caprificoque juxta mare surgenti vitem observarunt circumvolutam, ex qua demissus pampinus mare tangebat. Hunc existimantes caprum, quem ipsis deus praedixerat, tingentem mari barbam, ibi subsistentes, Japygibus bello victis, fundaverunt cognominem fluvio urbem Tarentum. — Quae fabula, quam Dionysius, scriptor in rebus Italiae egregie versatus, fortasse ex originum libro aliquo transcripsit, eo convenit cum Antiocho, quod Saturiam regionem Tarento proximam sibi datam voluerint coloni, discedit autem ab optimo scriptore eo, quod ad Ephori exemplum Japygibus bellum illatum esse confirmet; observandum tamen, similis de vite et caprifico oraculi mox ab eodem Dionysio l. c. cap. 3. in origine Rheginorum civitatis, fieri mentionem, secundum ea, quae Artimedes Chalcidensis prodiderat, ita ut etiam hic exemplum perturbationis historiae Italicae propositum esse cognoscamus. Videtur autem tale oraculorum genus vel ipsi Graecorum populo vel certe Graecis rerum scriptoribus

fuisse in deliciis, nam ejusmodi quoque est, quod Delphicus Apollo in bello Messeniaco secundo post cladem ad fossam (ἐπὶ τῇ τάφρῳ) acceptam cecinisse dicitur Aristomeni et Theoclo de salutis ratione sciscitantibus, Messenen tam diu servatum iri, donec hircus (τράγος) bibat Nedes alta fluenta, quod oraculum expletum est undecimo belli anno, caprifico in ripa Nedae enata, quae quum in amnem prona se inclinasset, extremis frondibus aquam contigit. Sic refert Pausanias IV, 20, 1, quem non dubito hic Rhianum habuisse ante oculos, is enim opus suum incepit a proelio illo apud fossam. Pausan. IV, 6, 1. Verum hoc oraculum fortasse idem est, quod de Rheginis affert Dionysius, nam Messenii bello secundo iterum victi secesserunt in Italiam, ut refert Pausanias IV, 23, 3. (cf. Mansonis Spart. I, 2. p. 288 sq.), qui tamen in errore est de Anaxilao, vide Jacobsium in Böttigeri Amalth. tom. I. p. 199. [4]) A Rheginis illud oraculum ad Tarentinos pervenisse videtur, quibus post levem immutationem novum juris, quod ipsis in Japygum terram Delphicus deus dedisset, documentum esse potuit, nisi scriptores hunc errorem commisisse dicas, qualem etiam coarguit narratio de stupratis Lacedaemoniorum virginibus (Heracl. Pont. polit. cap. 25. Strab. tom. II. p. 227 sq. Tzsch.), quam quidam belli Messeniaci causam fuisse arbitrati sunt. Est ille fabularum nexus tam obscurus, ut vix aliquam lucem recipere posse videatur.

Disquisitioni nostrae finem impositori denique addimus suavem et egregiam historiam, quam praebet Justinus III, 4, 12 sq., procul dubio Ephorum secutus. Sede enim constituta, post plurimos annos Phalanthus per seditionem in exsilium proturbatus, Brundusium se contulit, quo expulsi sedibus suis ve-

4) De Anaxilao adde Micali Italiam tom. III. p. 190 sq. et Böckh. explicatt. ad Pind. p. 240 sq.

